

Lucas
14/1895
Th. Koller

Jahresbericht

des

k. k. Staatsgymnasiums

in Krainburg

veröffentlicht

am Schlusse des Schuljahres 1894/95

durch die Direction.

Inhalt.

- 1.) Quaestiones de epistula Sapphus ad Phaonem. Von *F. Korun.*
- 2.) Schulnachrichten. Vom *Director.*



Krainburg 1895.

Buchdruckerei von Ig v. Kleinmayr & Fed. Bamberg in Laibach.

Verlag des k. k. Staatsgymnasiums.



F. Korun
Korun

Jahresbericht

des

k. k. Staatsgymnasiums

in Krainburg

veröffentlicht

am Schlusse des Schuljahres 1894/95

durch die Direction.

Inhalt.

- 1.) Quaestiones de epistula Sapphus ad Phaonem, Von *F. Korun*.
- 2.) Schulnachrichten. Vom *Director*.



Krainburg 1895.

Buchdruckerei von Ig. v. Kleinmayr & Fed. Bamberg in Laibach.

Verlag des k. k. Staatsgymnasiums.

Quaestiones

de epistula Sapphus ad Phaonem.

Origo atque fides epistolae Sapphus ad Phaonem ab hominibus doctis maxime in dubium vocantur: quae in nullo carminum Ovidii codice loco XV. — inter Hypermnestrae ad Lynceum et Paridis ad Helenam epistulas — invenitur, ubi in editionibus Ovidianis ab Heinsio D. (editio Elzeviriana an. 1629) usque ad Merkelium (Lipsiae an. 1852) legitur. In vetustioribus atque melioribus Heroidum libris non comparet, in multis est aut ceteris Heroidum epistulis praemissa, aut in calcem post Cydippes epistolam reiecta, aut separatim inter alia Ovidii carmina, Amores maxime et Fastos, scripta, saepe etiam in codicibus alius scriptoris Latini opera continentibus invenitur peculiarique plerumque titulo exhibetur; neque Maximus Planudes eam inter Heroides graece vertit. In nonnullis saec. XV. manuscriptis ut ipsius Sapphus carmen circumfertur.¹ In editionibus veterimis inde a Bononiensi et Romana principibus an. 1471 usque ad Heinsianam primam Heroidibus vel praeposita vel postposita est. Heinsius ei primus inter Heroidum epistulas locum XV. assignavit, quem, ut supra dictum, usque ad Merkelium servavit. R. Merkelius autem eam in Heroidum calcem reiecit ediditque litteris obliquis, A. Rieseius (Lipsiae 1871) ei locum inter poetarum Ovidianorum carmina tribuit, Palmerus (Londoni 1874) et Shuckburghius (Londoni 1879) hanc epistolam omnino neglexerunt. Recentissimo autem tempore Ovidianam eius originem acriter defenderunt Comparetti «Sulla epistola Ovidiana di Saffo a Faone» in «Publicazioni del istituto di studi superiori in Firenze» Ila 1876, Ae. Baehrens «De epistula Sapphus», Aug. Taur. 1884, S. G. de Vries «Epistula Sapphus ad Phaonem», Lugd. Bat. et Berol. 1885, N. Barbu «De Sapphus epistula», Berol. 1887. H. St. Sedlmayer quidem in disputatione «Prolegomena critica ad Heroides Ovidianas», Vindob. 1878, p. 32 sq. n. epistolae XV. originem Ovidianam abiudicavit eamque in «Commentario critico ad Ovidii heroides», Vindob. 1881, neglexit, sed paucis post annis sententiam suam mutavit adsensus Com-

¹ Cf. «Proleg. crit. ad Heroid. Ovidian.» scripsit H. St. Sedlmayer, Vindob. 1878, p. 32 sq. n. et «Epistula Sapphus ad Phaonem», specimen litterarium inaugurale, scripsit S. G. de Vries, Berol. p. 1.

parettio, Bachrensi, Vrieseio, huius carminis propugnatoribus; itaque Sapphus epistolam in Heroidum editione Vindobonensi 1886 recepit eique locum quintum decimum tribuit.

Qua inter Ovidii opera iterum recepta Nasoni labem impositam esse puto: nam ut illud carmen haud sit dignum poeta, qualis fuerit Ovidius, permultis epistolae vitiis efficitur. Quae maximam partem iam a viris doctis indagata, alia per me investigata ut ordine quodam exponam, his quaestionibus perscrutabor, quo modo epistula nobis tradita sit, deinde praecipue res grammaticas spectans orationis colorem et sententiarum rationem cum Ovidii haud dubiis versibus, imprimis cum prioribus Heroidibus quatuordecim, quae ab Ovidio sine dubio scriptae sunt, conferam; occasione oblata etiam de re metrica singulorum huius operis versuum agam, denique singulos locos, qui cum toto epistolae argumento minime congruunt in severius examen vocabo.

I.

De codicibus, qui epistolam Sapphus tradunt, iam Sedlmayerus² et Vrieseius³ accurate egerunt. Itaque ne acta agere videar, illi mihi breviter tantum describendi sunt. Cum antiquissimum omnium codicum, in quibus exstant Heroides Ovidianae, Parisinum n. 8242⁴ undecimum quidem saeculum accedere notum sit, vetustissimus omnium, quibus Sapphus epistula tradita est, librorum, *Francofurtanus* ex XIII. demum saeculo est, continens opera et Ovidiana et Pseudo-Ovidiana omnia praeter Medicamina faciei, Halieutica, Epicedion Drusi. Nux elegia manu alia saec. XIV.—XV. addita est. Sapphus epistula sine ulla inscriptione vel subscriptione in eo invenitur Heroidum numero praemissa.

Reliqui autem codices hanc epistolam exhibentes orti sunt saeculis XV. et XVI., quorum gravissimi sunt hi:

Codex Harleianus 2499, saec. XV., continet Salustii, Boethii, aliorum opera et Sapphus epistolam, cui praecedit praefatio alia manu scripta haec: «Circa lesbie Saphos mitilene epistolam ad phaonem dilectum suum scriptam. Magna extitit contencio quis hoc insigne opus e greco in latinum transtulerit quamvis aduc in dubio id volvatur coniecturis tum ad id ventum est, quod ovidius sulmonensis is siet qui transtulerit. Eoque nihil iocundius eligibilisue extet carminibus elegiacis Ovidii quale etiam carmen praesens noscatur esse. Itemque cum vicesimus (recte «vicesimus primus»)⁵ versus, qui erit huius operis idem reperiatur in libro Ovidii sine titulo, item versus

² Proleg. crit., pag. 1 sqq.

³ Epistula Sapphus ad Phaonem, pag. 6 sqq.

⁴ Non n. 8249, quo numero Barbu «De Sapphus epistula», pag. 5 hunc codicem per errorem notavit.

⁵ Cf. Amor II., 3, 13.

qui infra habebuntur de turture idem apud Ovidium sunt scripti, item in pluribus aliis versibus ab Ovidio scriptis vel assumptis ex hoc opere coniecturandum videtur ipsum hoc opus transtulisse». Titulus epistolae est: «Lesbiae Saphos Mitelene epistolam ad Phaonem suum scriptam lege feliciter». In fine epistolae scriptum est: «Finis Epistole Saphos ad Phaonem scriptam (!)». Inde sequitur carmen Marci cuiusdam Siculi laudes Sapphus praedicans.

Codex Fuldensis n. 178. A. C. 17. saec. XV. exeuntis, post Sallustii Catilinam continet Sapphus epistolam inscriptam: «Saphos Lesbie mitileneae epistola ad phaonem dilectum suum incipit feliciter». Etiam in hoc codice excipit epistolam carmen Marci Siculi de laude Sapphus.

Codex Guelferbytanus quintus vel Scriverianus, scriptus an. 1456, continet Ovidii Amores, Heroides, Leonardi Aretini versionem latinam Phalaridis epistularum, Antonii Panormitani ad Lamolam epistolam. Inter Leonardi Aretini opus et Ovidii Amores inserta est Sapphus epistula, inscripta: «Epistola saphos ad Phaonem siculum amatum suum incipit».

*Codex Guelferbytanus sextus*⁶ (Gud. 318) continet Ovidii Fastos et Amores, quibus adnexa est epistula Sapphus sic inscripta: «Sapho Vates Clarissima Ad Suum Phaonem.»

Codex Guelferbytanus septimus (Gud. 342) saec. XV. continet carmen de pulice, Copam, Moretum, Camilli Romani carmen in obitum Caroli Parthenopaei, epigrammata nonnulla et Sapphus epistolam inscriptam: «Saphos poetissae ad Phaonem Siculum libellus feliciter incipit».

Codex Guelferbytanus 82, 6, iudice Baehrensio saec. XV. scriptus⁷, continet Tibulli carmina et Sapphus epistolam sine ulla inscriptione vel subscriptione.

Codex Parisinus 7989 saec. XV. continet Tibulli, Propertii, Catulli carmina, Sapphus epistolam et fragmentum Petronii Tragurianum. Sapphus epistolae praefixus est titulus hic: «Saphos Lesbia vates ad Phaonem ex graecis in latinas litteras versa per Nasonem Sulmonensem ut ferunt nonnulli epistola aurea». Subscriptio legitur haec: «Saphos Vatis Mitileneae epistola explicit».

*Codex Parisinus 7997*⁸ continet Ovidii Heroides, Amores, Ibin, Artem amandi, Remedia. Inter Ibin et Artem amandi legitur Sapphus epistula, inscripta: «Sappho Phaoni».

⁶ Heusingerus iudicavit hunc codicem scriptum esse saec. XIII., a Sedlmayero et Baehrensio autem saec. XV. recte addictus est.

⁷ Praef. in Tibull., pag. X.

⁸ Hic codex iudice Sedlmayero (Proleg. p. 4) scriptus est saeculo XV. exeunte vel XVI.

Codex Gothanus Ch. A. n. 717 anno 1476 inter Horatii Artem poeticam et recentiorum poetarum carmina varia continet Sapphus epistulam, inscriptam: «Sapho Lesbia Mitilena ad Phaonem dilectum suum».

Codex Gothanus Ch. B. 1047, saec. XV., continet Tibulli elegos, partem Artis amandi, carmina quaedam ex Anthologia Latina, varia variorum recentioris aevi poetarum carmina et Sapphus epistulam, inscriptam: «Saphos mitilenee poetisse preclare ad Phaonem siculum amatorem suum epistola feliciter incipit».

Codex Vindobonensis octavus 3111, saec. XV., continet varia variorum scriptorum opera, inter quae sunt Ovidii Ars amandi, Remedia Amoris, Fasti, index in Fastos a Joa. Cuspiniano confectus: inter quem indicem et Petri Boponis carmina, quae ultimum obtinent locum, inserta est Sapphus epistula, inscripta: «Sapho vates clarissima ad Phaonem Siculum eius amatorem». Subscripta est: «Finis Saphus Ovidii».

Codex Vindobonensis nonus 3160, saec. XV., continet varia opera quinquaginta tria; Sapphus epistula inserta est inter Servii in Vergilium commentariorum fragmenta et epistulam Joannis Fegoloti ad Joannem Dominicum Cardinalem de schismate. Inscriptio legitur nulla; subscriptio autem haec: «Explicit Epistola Saphos poetisse mutilene».

Codex Cremifanensis 329, saec. XV., continet varia recentiorum opera et Ovidii Heroides, quas excipit Sapphus epistula sic inscripta: «Sappho vates clarissima ad Phaonem siculum eius amatorem».

Codex Laurentianus, plut. 36. c. 21., saec. XV., continet Ovidii Fastos et Sapphus epistulam inscriptam: «Sappho Phaoni. P. Ovidii Nasonis Saphus epistola».

Codex Monacensis 1730, saec. XV., continet Aviani fab., Horatii A. P., Terentii Andriam, Eunuchum, Verg. Buc., recentiorum poetarum quaedam et Sapphus epistulam inscriptam: «Ovidius Sulmonensis in Sapho».

Codex Monacensis 869, saec. XV., ante Phil. Beroaldi carmen ad Ann. Bentivolum continet Sapphus epistulam: «Ovidius in Sappho».

Praeter codices commemoratos exstant etiam nonnulli recentiores, quibus Sapphus epistula traditur; sunt autem libri deterioris notae.⁹

Vidimus igitur epistulam Sapphus non legi in codicibus Ovidianis optimis et vetustissimis¹⁰ neque Ovidii nomine esse inscriptam nisi in codicibus Vindobonensi octavo, Laurentiano, Monacensibus 1730 et 869,

⁹ Cf. Vries, l. l., p. 10 sqq.

¹⁰ Antiquissimi et optimi codices, quibus Heroidum epistulae Ovidianae traditae sunt, habentur Parisinus 8242 et Etonensis Bl. 6. 5., uterque saec. XI., deinde codex Guelferbytanus primus 260, fragmentum Vindobonense, fragmentum Anglimontanum, excerpta Voravensia, qui libri saeculo XII. assignantur, quos omnes ad eundem librum archetypum redire Sedlmayer plane ostendit. Cf. Sedlmayer, Proleg.; Peters Guilelmus, Observationes ad P. Ovidii Nasonis Heroidum epistulas, Lipsiae 1882, p. 15.

qui sunt scripti exeunte saeculo XV.; ubi autem cum Ovidii Heroidum epistulis coniuncta inveniatur, illis esse eam vel praepositam vel postpositam, plerumque autem aliis operibus insertis ab Heroidibus plane disiunctam aut denique peculiarique saepe titulo separatim exhibitam. Ex quo intelligitur huic epistolae ex codicum ratione omnino nihil rei esse cum Heroidibus neque ante quingentos annos Ovidianam habitam esse. Non est igitur mirandum Schneidewinum, virum doctum, quem fugit epistolam nostram iam legi in codice Francofurtano scripto saec. XIII., pro certo habuisse¹¹ Sapphus epistolam prima saeculi XV. parte ab Italo quodam docto, qui versatus fuisset in Ovidio et Propertio, scriptam esse. Quam sententiam tamen paullo post abiecit,¹² quod resciverat a Duebnero Parisiis codicem saec. XIII. Heroidum excerpta continentem in lucem protractum esse, in quo inter Hypermnestrae et Paridis epistularum excerpta nonnulli versus, inscriptione «Sapho Phaoni» praediti, essent inserti. Quibus rebus adductus concessit quidem epistolam iam ante medii aevi tempora cognitam fuisse, sed perseverabat in sententia sua eam spuriam esse Ovidiique nomine indignam.

In illo codice Parisino 17.903 (Nôtre Dame 188), continente excerpta et ex aliis scriptoribus Latinis et ex Ovidii Met. Fast. Her., inter Hypermnestrae et Paridis epistularum excerpta leguntur epistolae Sapphus hi versus:¹³

- 31. Si mihi difficilis formam natura negavit.
- 32. Ingenio forme dampna rependo mee.
- 33. Sum brevis at nomen quod terras impleat omnes.
- 34. Est mihi mensuram nominis ipsa fero.
- 195. Ipsis dolor artibus obstat.
- 196. Ingenium nimiis deficit omne malis.

Iidem versus aliis aucti inveniuntur etiam in alio codice Parisino 7647, saec. XII. desinente vel incipiente XIII. scripto.¹⁴ Illi versus sunt:

- 14. Sunt vacuae carmina mentis opus.
- 31. Si mihi difficilis formam natura negavit.
- 32. Ingenio forme dampna rependo mee.
- 33. Sum brevis. at nomen quod terras impleat omnes.
- 34. Est mihi. mensuram nominis ipsa fero.
- 65. Fastus inops agili peragit freta cerula remo.
- 66. Quasque male amisit, nunc male querit opes.
- 72. Non agitur vento nostra carina suo.

¹¹ Mus. Rhen., an. 1843, p. 138.

¹² Mus. Rhen., an. 1845, p. 144.

¹³ Cf. Sedlmayer, Proleg. p. 32 n.; Vries, l. l. p. 3; Barbu, l. l. p. 5.

¹⁴ Comparetti l. l. p. 25.

81. Sepe abeunt studi in mores artesque magistre.
195. Ipsi dolor artibus obstat.
196. Ingenium nimiis deficit omne malis.

Item in Vincentii Bellovacensis Speculo Historiali, conscripto annorum spatio 1244—1254 et continente eadem fere excerpta ac codices illi Parisini eodemque ordine, epistulae Sapphus v. 196 inter v. 56 epistulae Hypermnestrae et v. 7 epistulae Paridis collocatus legitur: Ingenium nimiis deficit omne malis.

Illis excerptis Parisinis tamen non tantum pretium attribuendum est, quantum iis nonnulli attribuere solent. Nam versibus traditis ipsis apparet excerptorem veteris scriptoris verba minime accurate scripsisse variosque versus suo arbitrio mutavisse. Quod autem ad vetustatem attinet, ostenditur epistolam Sapphus iam saeculo XIII. exstitisse, quo etiam codex Francofurtanus hoc carmen continens exaratus est. Vincentium Bellovacensem autem sine dubio ex excerptis Parisinis illum versiculum exscripsisse evicit E. Protzen:¹⁵ «Congruit enim Vincentius cum iis excerptis in lectionibus plurimis, quae non ab ipsis scriptoribus possunt esse profectae, neque ex incerta aut inconstanti codicum ratione explicari, sed manifesto excerptoris illius operam produnt, ipsius consilio consentaneam. Nec profecto, si Vincentium ex ipsius Ovidii carminibus hausisse statuamus, explicari possit, qui factum sit ut plane ignotum Sapphus nomen illi esset, ut certe fuit: in Speculo enim Historiali omnes fere poetas Graecos enumerat, Sapphonem vero ne verbo quidem commemorat».

Quod autem in codice Parisino 17903 et in Vincentii Bellovacensis Speculo Historiali inter excerpta ex Hypermnestrae et Paridis epistulis tradita etiam illi Sapphus epistulae versus leguntur, concludi potest olim librum manu scriptum Heroidum Ovidianorum fuisse, in quo Sapphus epistula nobis tradita locum XV. habebat, quem ei Daniel Heinsius in editione carminum Ovidianorum Elzeviriana an. 1629 primus dedit. Vero maxime mirum est, quod ne unum quidem Heroidum exemplarium exstet, quod illum ordinem confirmet. «Sed minime,» ut Barbu recte dicit,¹⁶ «concedere possumus Daniele Heinsium divinando vel ad suum arbitrium sic egisse neque veri est simile Nicolaum eius filium, assiduum antiquitatis exploratorem, in via a patre monstrata temere inconsiderateque perseverasse».

Usque ad XIII. saeculum igitur pertinere testimonia Sapphus epistulae, quae exstat, argumentis confirmari potest. Quod ea nonnulli viri docti etiam longius persequebantur, nil aliud fecerunt nisi incertas coniecturas. Ideo errat Comparetius, qui epistulae originem sciscitans argumenta, quibus eam defenderet, ex Ausonii scriptis duceret.¹⁷ Apud illum enim in

¹⁵ «De excerptis Tibulli», Dissert. inaug., Gryphiswald 1869, p. 33.

¹⁶ De Sapphus epistula, p. 6.

¹⁷ l. l. p. 9. Eum secutus est Vriescius, p. 122 sq.

carmine «Cupido cruci affixus» inscripto Sapphonem videmus collocatam inter feminas fabulosas vel heroides, quae prae amore mortem oppetiverunt et in tristibus campis, de quibus Vergilius Aen. VI., 441 sqq. agit, morantur. Ex Aeneide desumptae sunt Phaedra, Procris, Eryphile, Pasiphae, Laodamia, Caenis, Elissa, quibus ab Ausonio adduntur Semele, Hero, Sappho, Ariadne. De Sapphone autem haec dicit poeta v. 24 sq.:¹⁸

Et de nimbo saltum Leucate minatur
(Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.)¹⁹

Quibus versibus adductus est Comparetius et post cum Vrieseius, ut pro certo haberent Ausonium epistulam nostram ad manus habuisse, quod verbis *saltum minatur* eadem Sapphus condicio atque in illa significaretur.²⁰ Res autem non ita se habet. Ausonius enim eas puellas memorat, quae amoris igne perierunt, ut ipse dicit v. 3 sq.:

Orgia ducebant Heroides et sua quaeque,
Ut quondam occiderant, leti argumenta gerebant.

et v. 65 sqq.:

Cunctae exprobrantes tolerati insignia leti.
Expediunt: haec arma putant, haec ultio dulcis.
Haec laqueum tenet, haec speciem mucronis inanem.
Ingerit, illa cavos amnes rupemque fragosam etc.

Quin ultimo versu Sapphus mortis mentis facta sit, non est dubium. Epistulae autem versibus 165—184 veri simile fit Sapphonem saltu dato superstitem fuisse, id quod ex Amor. II. 18, 34:

Det votam Phoebo Lesbis amata lyram

manifesto elucet. (De discrepantia illorum Sapphus epistulae versuum et Am. II. 18, 34 vide p. 31 sqq. huius dissertationis.)

Mon minus caducum est argumentum, quod Comparetti ex eiusdem poetae epigrammate XCII petere conatus est. Ibi enim Venus *δυσέροισι* cuidam auxilium petenti compluribus salutariis consiliis datis haec genera mortis commendat v. 11 sqq.:²¹

«Suasi, quod potui: tu alios modo consule.» Dic quos?

«Quod sibi suaserunt, Phaedra et Elissa dabunt,

Quod Canace Phylisque et fastidita Phaoni.»

Ex quibus ultimis verbis Comparetti concludit Ausonio illa scribenti nostram epistulam ob oculos versatam esse. Sed vir doctus in eadem re atque supra peccavit, quoniam illo quoque loco de Sapphus morte intelligendum est.

¹⁸ In editione Schenkeliana, p. 121.

¹⁹ Hunc versum (25) in editione Ugoleti anno 1499 demum additum esse, ut lacuna expleretur, quae post v. 24 in codicibus esset, Schenkel in editione novissima testatur, p. 122.

²⁰ Comparetti, l. l. p. 10: Del resto, l'atteggiamento di Saffo che minatur saltum è appunto quello, ch'esse ha nella nostra epistola.

²¹ Editio Schenkeliana, p. 221; conf. Barbu, l. l. p. 14 sqq.

Veri enim est simile Ausonium secutum esse scriptores Alexandrinos, qui in huius generis fabulis quam sollertissimi fuerunt eosque etiam Ovidius²² in Heroidibus tractandis imitatus esse videtur. Propterea graviter peccant illi viri docti, qui quemque credant scriptorem, si quid de saltu e Leucate promunturio referat, Sapphus epistolam ad manus habuisse, non respicientes Ovidium illam fabulam non ipsum excogitaturum, sed e veteribus poetis haustum fuisse, si vere carmen nostrum fecisset. Nam fabulam de illo saltu veteribus vulgo notam fuisse e compluribus scriptoribus discere possumus, quamquam nusquam nisi Sapphus epistolae v. 169—171:

Nec mora, versus amor figit²³ lentissima Pyrrhae

Pectora: Deucalion igne levatus erat.

Hanc legem locus ille tenet.

traditur illi saltui haec potestas fuisse, ut amorem ex desilientis pectore in amati hominis pectus transfunderet, qua re ostenditur id fabulae genus Ovidii aetati ignotum fuisse. Apud Servium grammaticum enim ad Verg. Ecl. VIII. 69 legimus: «Quod apud Leucatem soliti erant se praecipitare, qui aut suos parentes invenire cupiebant, aut amari ab his desiderabant, quos amabant.» Idem grammaticus ad Verg. Aen. III. 274 haec scribit: «Sane de hoc Leucate amatores se in mare ad excludendum amorem praecipitare dicebantur: ut Sappho † quae his inde desiluit.» Ibid. 279: «Menander et Turpilius comici a Phaone id templum conditum dicunt: qui cum esset navicularius solitus a Lesbo in continentem proximos quosque mercede transvehere, Venerem mutatam in anus formam gratis transvexit; quapropter ab ea donatus unguenti alabastro, cum se in dies inde tum ungeret, feminas in sui amorem trahebat, in quibus fuit una, quae de monte Leucate, cum potiri eius nequiret, abiecisse se dicitur.»

Menander apud Strabonem X. 452 nobis tradit Sapphonem primam fuisse, quae amore erga Phaonem incensa de Leucadio promunturio se diecerit:

ὄν δὲ λέγεται πρώτη Σαπφώ
τὸν ἐπέρομπτον Ἰηρῶσα Φάων'

²² M. Schanz, Geschichte der röm. Literatur bis zum Gesetzgebungswerke des Kaisers Justinian, pars. I., München 1890, p. 144.

²³ Sic enim exhibent hos versus codices Harleianus et Fuldensis, nisi quod noto errore pro «lentissima» habent «letissima» et in Harleiano pro «erat» est «abit.» In plerisque codicibus pro «versus» est «iussus,» «visus,» «iustus» et «tetigit» pro «figit,» quod olim explicandi gratia supra «figit» fuisse scriptum probaliter statuit Bachrens (l. l. p. 62). In codice autem Francofurtano pro «figit» legitur «fugit» et pro «Pyrrhae» legitur «mersi»; versus enim est:

Nec mora versus amor fugit lentissima mersi — Sic hunc versum recepit etiam Sedlmayer in editionem suam Vindobonensem. Sed haec scriptura retineri nullo modo potest. Nam in ea lectione inest iteratio molestissima, «lentissima» sensu omnino caret, aequae ac «versus amor», cum amor ita non vertatur sed cesset; denique supervacaneum prorsus est nomen Deucalion (cf. Vries, l. l. p. 100).

οἰστρῶντι πόθῳ ῥῖψαι πέτρας
ἀπὸ τηλεφανοῦς ἄλμα κατ' εὐχὴν
σὴν, δέσποτ' ἀναξ, εὐρημείσθω
τέμενος περὶ Λευκάδος ἀκτῆς.

Deinde legimus apud Silvium V. 3. 154:

Saltusque ingressa viriles.

Non formidata temeraria Leucade Sappho.

et apud Suidam:

Σαπφώ, Λεσβία ἐκ Μιτυλήνης, ψάλτρια αὐτῆ δι' ἔρωτα Φάωνος τοῦ Μιτυληναίου ἐκ τοῦ Λευκάτου κατεπόντωσεν ἑαυτήν.

Proverbia fere locum saltum illum in rebus amatoriis habuisse docet Anacreon, fragm. XIX. (Bergk²⁴):

Ἄρθεῖς δητ' ἀπὸ Λευκάδος
πέτρης ἐς πολὺν κῆμα κολυμβῶ, μεθύων ἔρωτι.

Sed non solum misero amore incensi se de Leucadio monte praecipitabant; etiam mos erat in cultu Apollinis institutus, ut homines nocentes mali averruncandi causa inde in mare deicerentur. Qui ut ex periculo evaderent, plumis et avibus suspensis saltum sublevare studebant atque a multis naviculis infra dispositis excipiebantur. Illa narrat Strabo loco laudato (X., p. 452) verbis hisce:

ἦν δὲ καὶ πατριον τοῖς Λευκαδίοις κατ' ἐνιαυτὸν ἐν τῇ θυσίᾳ
τοῦ Ἀπόλλωνος ἀπὸ τῆς σκοπῆς ῥιπτεῖσθαι ἵνα τῶν ἐν
αἰτίας ὄντων ἀποτροπῆς χάριν, ἐξαπτομένων ἐξ αὐτοῦ
παντοδαπῶν πετρῶν καὶ ὄρνέων ἀνακουφίζειν δυναμένων
τῇ πηρῆσι τὸ ἄλμα, ἐποδέχεσθαι δὲ κάτω μικραῖς
ἀλάσι κύκλω περισιτώτας πολλοὺς καὶ περισσώζειν
εἰς δόναμιν τῶν ὄρων ἕξω τὸ ἀναληφθέντα.

In Sapphus epistulae v. 18:

Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis

nominatur Atthis puella, quae erat Sapphus amica testibus Suida: *ἑταῖραι δ' αὖτῆς καὶ φίλαι γέγονασι γ' Αἰθῆς, Τελεσίππα, Μεγάρα* et Terentio Mauro, 2154 sq. (VI., p. 390 K.):

Cordi quando fuisse sibi canit Atthida (sc. Sappho)

Parvam, florea virginitas sua cum foret.²⁵

Illud autem vocabulum etiam apud Probum grammaticum, quem quarto saeculo vixisse veri simile est, invenitur. In eius enim Catholicis²⁶ haec legimus: *«this: et hoc tertiae est declinationis, this vel dis facit genetivo,*

²⁴ Vries, l. l. p. 102.

²⁵ Cf. Sapphus fragm. 41 (Bergk): Ἄτθι, σοὶ δ' ἔμεθεν μὲν ἀπύχθετο.

²⁶ Keil, edit IV., p. 30.

Atthis, Atthis, Atthisis, sic Ovidius». Itidem Marius Plotius Sacerdos, qui ipse saeculo quarto vixit et cum Probo grammatico ex communi fonte duxit,²⁷ idem nomen II. 59 habet: «*this* tertiae declinationis *this* vel *dis* facit genetivo: *hic*²⁸ *Atthis*, *huius Atthis* vel *Atthisis* sic Ovidius». Cum autem nomen «*Atthis*» in Ovidii scriptis nusquam nisi v. 18 Sapphus epistulae reperiatur, Comparetti, Vries, Barbu, alii affirmant ex hac epistula depromptum illud in communem fontem venisse, ex quo Probus grammaticus et Marius Plotius Sacerdos duxerint: ex quibus efficiunt nostram epistulam quarto saltem saeculo exstitisse. At illam opinionem impugnant Schneidewin²⁹ et Riese³⁰ obicientes ex ipsis grammatici et Sacerdotis verbis apparere Sapphus epistulam, quae adesset, spuriam esse, quod illis auctoribus in genuino Ovidii carmine scriptus esset non nominativus sed genetivus *Atthisis*. Sed hoc minus recte se habere inter alios Barbu³¹ diligenter ostendit, qui multis exemplis ex Probi Catholicis congestis demonstravit grammaticum non tam ea mente testes veteres auctores excitare solitum esse, ut genetivi forma confirmaretur, quam ut summam ostenderetur nomen prolatum, quocumque esset casu, apud scriptores citatos inveniri.

Probabilius autem est hoc nomen apud Probum grammaticum et Sacerdotem allatum non ad illam puellam Lesbiam, sed ad Attin, iuvenem Cybelae adamatum, spectare,³² quem Ovidius saepius nominat:

Fast. IV., 223 sq.

Phryx puer in silvis, facie spectabilis, Attis

Turrigeram casto vinxit amore deam.

Fast. V., 227 sq.

Quid Crocon, aut Attin referam, Cinyraque creatum,

De quorum per me vulnere surgit honor?

Met. X., 104 sq:

Siquidem Cybeleius Attis

Exiit hac hominem, truncoque induruit illo.

Quod huius Cybelae amatoris nomen sine aspiratione, quam dicimus, scribitur, apud illos grammaticos autem cum aspiratione scriptum invenitur, non est tanti momenti. Mendum enim est levissimum ideoque librarii errore facile incidere potuit in codicem, ex quo liber Sacerdotis et Probi Catholica

²⁷ Keil, edit, vol. VI, p. 422: «Itaque antiquior et plenior liber olim fuit, ex quo tamquam communi fonte et hic liber, quem nunc Claudii (Marii Plotii) Sacerdotis nomine inscriptum habemus et Probi Catholica quae feruntur ita ducta sunt, ut alia apud hunc, alia apud illum servarentur».

²⁸ Keilius *hic*, quod codex Bobiensis, nunc Vindobonensis, habet, in *haec* correxit. Cf. Loers, Mus. Rhen. 1846, p. 43, et Comparetti l. l.

²⁹ Mus. Rhen. N. S. II., p. 144.

³⁰ Bursians Jahresbericht 1877, II., p. 22.

³¹ l. l. p. 18 sqq.

³² Cf. Lachmann: De Ovidii epistulis: Kleinere Schriften, vol. II., p. 56 sq.

ducta sunt. — Neque infirma est coniectura Atthidis nomen etiam in genuina Ovidii epistula fuisse. Nam in elegia ad Macrum amicum missa, Amor. II. 18. Ovidius scribit: cum Macer epicis carminibus pangendis operam det, se leviora argumenta tractare et a nimis elata et grande sonante tragoediae Musa se ad scribendas Amoris artes et heroidum epistulas convertisse. Deinde pergit v. 19—26:

Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris —
 Ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis! —
 Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
 Scribimus et lacrimas, Phylli relictas, tuas;
 Quod Paris et Macareus et quod male gratus Jaso
 Hippolytique parens Hippolytusque legant,
 Quodque tenens strictum Dido miserabilis ense
 Dicat et Aeoliae Lesbis amica lyrae.

Quibus ultimis verbis — Quodque — dicat — Aeoliae Lesbis amica lyrae — evidenter apparet Nasonem etiam Lesbiam vatem scribentem epistulam finxit neque perversum est credere poetam in illa inter alias Sapphus amicas etiam Atthidem memorasse, quod nomen igitur etiam ex genuino Ovidii carmine depromptum in communem Probi et Sacerdotis fontem deferri potuit.

Ceterum neque tum cogimur epistulam, quae exstat, genuinum Ovidii carmen ducere, si vere Atthidis nomen ex ea sumptum in Sacerdotis librum et Probi Catholica delatum est: nam iam quarto saeculo multa opera adulterina fuere.

Aliud indicium, quo probetur fuisse Sapphus epistulam, quam nunc habeamus, temporibus iam antiquis, fortasse saeculo primo, nonnullis huius carminis patronis³³ est «Consolatio ad Liviam». Quod poema, vulgo nominatum «Epiciedion Drusi», quo tempore sit scriptum, accurate definire perdifficile est; sed proxime ad verum accedemus, si altera primi saeculi parte id conscriptum esse contenderimus.³⁴ In illa enim Consolatione ad Liviam reperiuntur aliquot versus, quibus similitudo aliqua cum Sapphus epistulae versibus esse videtur. Propterea illi viri docti affirmant Consolationis poetam legisse nostram epistulam eiusque nonnullos locos in usum suum convertisse. Afferuntur autem hi versus:³⁵

³³ Vries, l. l. p. 124 sq.; Barbu, l. l. p. 27.

³⁴ Haupt, Progr. Univ. Lips. 1849 (opusc. I. p. 315 sqq.) Consolationem ad Liviam viro cuidam docto saeculi XV. adscribit; Adler, Progr. Gymn. Anclam 1851, putat vixisse eius scriptorem ante Senecam; Huebner, Hermes XIII. p. 242 sqq., persuasum est illud carmen esse saeculi II., quam opinionem sequitur Bücheler, Philolog. Krit., Bonn 1878, p. 22; Bachrens, Poet. Lat. Min. I., pag. 96 sqq., id anno nono scriptum esse affirmat; Bachrensii opinionem impugnat Schenkel, Wien. Stud. II., pag. 56, qui Epiciedion Drusi Senecae temporibus confectum esse statuit; Schanz, Diss. p. 12, eius originem annorum 43 ad 68 spatium, Wieding, Diss. p. 61, primis principatus Tiberii annis attribuit.

³⁵ Haupt, opusc. I., p. 339; Vries, l. l. p. 125.

Consol. v. 106:

Deflet Threicium Daulias ales Ityn

et Sapph. epistulae v. 154:

Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.

Consol. v. 204:

Ausoniae matres Ausoniaeque nurus

et Sapph. ep. v. 54:

Nisiades matres Nisiadesque nurus.

Cons. v. 126:

Haec sunt in reditus dona paranda tuos

et Sapph. ep. v. 211 sq.:

Sive redis, puppique tuae votiva parantur.

Munera —

Consol. v. 116:

Effusae gravidis uberibusque genis

et Sapph. ep. 174:

Nec gravidae lacrimas continuere genae.

Consol. v. 240:

Pollice quae certo pensa severa trahunt

et Sapph. ep. v. 82:

Nec data sunt vitae fila severa meae.

Sed nemo, qui sine studio iudicaverit, plane dicere poterit, quibus in rebus sit similitudo inter Consol. v. 126 et Sapph. ep. v. 211, Consol. v. 116 et Sapph. ep. v. 174, Consol. v. 240 et Sapph. ep. v. 82, nisi similitudo nominetur, quando idem vocabulum in duobus diversorum carminum versibus invenitur. Praeterea Consol. v. 240 nunc scribitur:

Impia quae certo pollice pensa trahunt,

ita receptus ex editione principi Romana.³⁶ Consol. v. 204 orationis forma autem tam ex Trist. II. 23:

Ipsae quoque Ausonias Caesar matresque nurusque

adscita esse potest quam ex Sapph. ep. v. 54, si quidem nobis hoc loco cogitandum est de imitatione; vocabulum «Ausonias», quod est et in Consol. v. 204 et in Trist. II. v. 23, ostendit Consol. poetam potius v. 23, Trist. II quam v. 54. Sapph. ep. imitatum esse. Insuper illi Consolationis versui complures similes apud Ovidium inveniuntur:

Met. III. 529: Turba ruit, mixtaeque viris matresque nurusque.

Met. IV. 9: Parent matresque nurusque —

Met. XII. 216: Cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva.

Fast. IV. 295: Procedunt pariter matres nataeque nurusque.

³⁶ Baehrens, Poet. Lat. Min. I, pag. 112.

Jam reliquum est, ut agamus de Consolationis versu 106, cuius dimidia pars eadem est atque versus 154 nostrae epistulae. Sed horum versuum consensum non admirabimur, si deliberaverimus, quam trita apud poetas veteres fuerit fabula de Procne et Philomela quamque frequens apud eos exemplum imaginis huius, a luscinae natura desumptae. Cf. Hom. Od. XIX, 518 sqq. et Callimachus Hymn. V. 94. Catullus LXV. 13 sq. dicit:

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli.

Similiter Propertius III. 10. 10:

Increpet absumptum nec sua mater Ityn.
Persaepe autem usus est illa imagine Ovidius:
Am. III. 12. 32: Concinit Odrysium Cecropis ales Ityn.³⁷
Am. II. 6. 10: Magna, sed antiqui causa doloris Itys.
Am. II. 14. 30: Aque sua caesum matre queruntur Ityn.
Fast. IV. 482: — ut amissum cum gemit ales Ityn.
Trist. II. 390: Quaeque suum luget nunc quoque mater Ityn.

Videmus igitur Epicedii Drusi v. 106 non solum ad similitudinem epistulae v. 154, sed etiam ad similitudinem aliorum in Ovidii carminibus locorum conformatum esse posse. Satis enim notum est poetam Consolationis ad Liviam omnia Ovidii poemata bene novisse, ex quibus versus Nasonis integros versuumque particulas in suum carmen transtulerit.³⁸ Illo autem Epicedii Drusi loco, ubi versus 106 invenitur, nobis Livia Drusi mortem deflens describitur; itaque ibi imago Dauliadis alitis Ityn complorantis maxime est idonea. Conferatur modo ille Consolationis locus v. 99—112:

Raptus es absenti, dum te fera bella morantur,
Utilior patriae quam tibi, Druse, tuae.
Liquitur ut quondam Zephyris et solibus ictae
Solvuntur tenerae vere tepente nives.
Te queritur casusque malos irrisaque tales
Accusatque annos ut diuturna suos.
Talis in umbrosis, mitis nunc denique silvis
Deflet Threicium Daulias ales Ityn:
Halcyonum tales ventosa per aequora questus
Ad surdas tenui voce sonantur aquas:
Sic plumosa novis plangentes pectora pennis
Oenidem subitae concinuistis aves:
Sic flevit Clymene, sic et Clymeneides, alte
Cum iuvenis patriis excidit ictus equis etc.

³⁷ Ad v. 154 Sapph. ep. adnotavit Th. Birt, Mus. Rhen. XXXII, p. 388 n. 2.: «Versus Amorum III. 12. 32 variatur in v. 154. Ovidius ni fallor sua verba repetiisset.»

³⁸ Haupt, opusc. I., p. 335 sqq.

II.

Postquam ostendimus ex codicum ratione Sapphus epistulae nihil rei esse cum Heroidibus neque esse ullum certum indicium, quo efficeretur eam iam Ovidii aetate exstitisse, ad rem grammaticam et dictionis poeticae rationem animum attendamus, ut videamus, quae sint in ea aliena ab usu Ovidiano neque convenientia Ovidii generi dicendi.

Versu 4. Hoc breve nescires unde movetur opus.

offendit non solum indicativus in interrogatione, quae dicitur indirecta, sed etiam locutio ‚unde movetur opus‘. Indicativum ‚movetur‘ damnavit iam ille, qui scripsit librum Francofurtanum mutans ‚movetur‘ in ‚veniret‘, quam scripturam commendat Barbu.,³⁹ quamquam eam neque ullus alius codex exhibet neque locutio ‚opus venit‘ ullo Ovidiano exemplo firmari potest. Quibus rebus plane apparet eam esse coniecturam codicis Francofurtani scriptoris, cui, unde movetur non placuit. Vries⁴⁰ autem indicativum defendere conatus est nitens hisce exemplis ex Ovidii Heroidibus allatis:

Her. XVI. 78: Hanc esse ut scires, unde movetur amor.

Her. X. 86: Quis scit, an haec saevas tigridas insula habet?

Quod attinet ad versum 78. Her. XVI. tenendum est eum esse ex illis ep. XVI. versibus (39—144), qui vulgo adulterini habeantur. Deinde ‚unde movetur amor‘ non est interrogatio indirecta ad verbum ‚scires‘, sed sententia, quae dicitur attributiva, ad pronomen ‚hanc‘. Versus enim ita est interpretandus: ut scires esse hanc (sc. deam), unde movetur amor. Ovidius sane etiam hoc loco coniunctivum posuisset. Versus 86. Her. X. autem est ita corruptus, ut medicina adhiberi fere non possit.⁴¹ Inde tam multae editorum emendationes: Heinsius: Quis scit, an et saevis tigrisin illa vacet? vel: Quis scit an et saeva tigride Dia vacet? Bentley: Quis scit, an haec saeva tigride silva vacet? Gronovius: Quis scit, an et saevam tigrida Naxus habet? van Lennep: Quis scit, an et saevas tigridas illa ferat? Palmer: Quis scit an et saevam tigrida Dia ferat? Riese: Quis scit, et haec saevas tigridas insula habet? Barbu.:⁴² Quis scit, an hanc etiam tigrides insulam ament? Vidimus igitur tot esse coniecturas, quot editores Heroidum. Versus ita corruptus vero esse argumento non potest.

Ut autem indicativus, ita etiam omnino locutio ‚unde movetur opus‘ est aliena ab usu Ovidiano; quae nullo pacto ‚a quo mittuntur litterae‘ significare potest, id quod poeta his verbis dicere voluit.⁴³ Nam ‚movere opus‘

³⁹ l. l. p. 40.

⁴⁰ l. l. p. 38 et 128.

⁴¹ Cf. Sedlmayer, P. Ovidii Nasonis Heroides, Vindob. 1886, p. 69 sq.

⁴² l. l. p. 31.

⁴³ Schneidewin, Mus. Rhen. N. S. II. p. 140 dicit: «Movere bei Ovid (Am. III. 1. 6., A. A. I. 29., Fast. IV. 820) steht von dem Antreiben einer Beschäftigung, wie Musa hoc movet opus, usus opus movet hoc.

non esse nisi ,incipere, aggredi, agitare, proferré opus', numquam autem ,mittere opus' multi Ovidianorum carminum loci ostendunt:

Am. III. 1. 6: Quod mea, quaerebam, musa moveret opus.

A. A. I. 29: Usus opus movet hoc.

Fast. IV. 820: — Inde movetur opus.

Eodem sensu, quo his locis, etiam illa exempla leguntur, quae Vries⁴⁴ ad tuendam locutionem impugnatam conguessit ideoque ea defensionem magis nocent quam prosunt:

Her. VII. 4: — Adverso movimus ista deo,
quod intellegendum est ,adverso deo ista incipimus.'

Met. XIV. 20 sq.: At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen
Ore move sacro.

id est: at tu — carmen sacro ore aggredere.

Fast. I. 19: Pagina iudicium docti subitura movetur

Principis —

i. e.: pagina — profertur.

Fast. I. 268: Ipse meae movi callidus artis opus.

i. e.: ipse meae artis callidus opus aggressus sum.

Fast. III. 11: — quid enim vetat inde moveri?

i. e.: quid enim vetat inde incipi?

V. 7: Flendus amor meus est; elegi quoque flebile carmen.

Ita hunc versum memoriae tradunt codices Francofurtanus et Parisinus 7989, plerique autem ,flendus amor meus est elegi flebile carmen', unus ,flendus amor meus est elegique flebile carmen', in libris aliquot recentioribus autem legitur ,flendus amor meus est elegeia flebile carmen'; quam ultimam scripturam sequentes omnes fere editores inde ab Heinsio hunc versum sic exhibent. Baehrens⁴⁵ vero et post eum Vries⁴⁶ nuper plane ostenderunt verbum ,elegeia' hoc loco tolerari minime posse. Nam Ovidius Elegeia, ubi hac voce utitur, deam aliquam poeseos elegiacae appellare solet:

Cf. Am. III. 1. 7: Venit odoratos Elegeia nexa capillos.

Am. III. 9. 3: Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos.

Rem. 379: Blanda pharetratos Elegeia cantet Amores.

Tali vocis Elegeiae significationi autem in versu nostro locus non est, cum Elegeia dea non flebile carmen dici possit. Ceterum Ovidius si solum poeseos genus indicare vult, vocem «elegi» adhibet:

Cf. Rem. 395: Tantum se nobis elegi debere fatentur,

Quantum Vergilio nobile debet epos.

⁴⁴ l. l. p. 37 sq.

⁴⁵ In ,Rivista di filologia', XIII. 1—2, p. 56.

⁴⁶ l. l. p. 40.

Itaque Baehrens proposuit ‚Flendus amor meus est: elegi sunt flebile carmen‘, Vries autem statuit ‚Flendus amor meus est elegis: hoc flebile carmen‘; quibus scripturis codicum auctoritate prorsus carentibus versum languidum effici facile est intellegere. Cum itidem inepte dicatur et ‚Flendus amor meus est: ἐλέγι flebile carmen‘ et ‚Flendus amor meus est elegique flebile carmen‘, restat, ut optimum et vetustissimum codicem sequentes scribamus ‚Flendus amor meus est; elegi quoque flebile carmen.‘ Cuius libri lectionem firmatam etiam illo Parisino cur non accipiamus, non est causa. Nimirum versus etiam ita traditus prodit inhabilem Ovidii imitatore: nam particulae ‚quoque‘ apud Ovidium non inest vis ‚similiter‘, ‚ita‘, id quod Barbu (l. l. p. 40) nonnullis exemplis ex Nasonis carminibus allatis demonstrare conatus est.⁴⁷ Quam ob rem nostrum locum interpretatur: «Ut amor meus flendus est, ita flebile est elegorum carmen.» Sed Ovidius si ita dicere voluit, etiam vocabulis ‚ut — ita‘ usus est:

Cf. Trist. V. 1. 5: Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen.

Profecto ipsis versibus a Barbuio ad firmandam interpretationem suam in medium prolatis ostenditur Nasonem verbum ‚quoque‘ pro ‚similiter‘ vel ‚ita‘ non posuisse.

Cf. A. a. III. 177: Hic undas imitatur: habet quoque nomen ab undis, i. e.: hic undas imitatur, propterea etiam nomen ab undis habet.

Rem. 407: Et pudet, et dicam. Venerem quoque iunge figura, i. e.: et pudet, et dicam. Etiam Venerem iunge figura.

Her. I. 65: Misimus et Sparten: Sparte quoque nescia veri, i. e.: misimus et Sparten: sed etiam Sparte erat nescia veri.

Am. I. 8. 15 sq.: Suspisor, et fama est. Oculis quoque pupula duplex Fulminat, et gemino lumen ab orbe venit, i. e.: suspisor, et non solum fama est eam (sc. Dipsadem) esse veneficam, sed etiam oculi, ex quibus pupula duplex fulminat, id ostendunt.

Conferamus etiam sententiam Franckei⁴⁸ de elegis dictam: «Illud certe haud neglexit Ovidius ἐλεγον non esse omnino querulum, sed lugubre carmen. Aliter ille poeta (h. e. qui Sapphus scripsit epistulam) hoc ipsos Ovidii versus (Am. III. 9. 3 sq., supra allatos) habens ob oculos expressit perversa imitatione.»

V. 21: Est in te facies, sunt apti lusibus anni.

Hic versus translatus est ex Am. II. 3. 13.:

Est etiam facies, sunt apti lusibus anni.

⁴⁷ Barbuium sequitur Darius Naguiewski, In quaestiones Sapphicas observationes, p. 14 sq.

⁴⁸ Callinus, p. 43.

V. 24: Accedant capiti cornua: Bachus eris,⁴⁹
ostendit rudem Ovidii imitatore.

Cf. Met. XII. 400 sq.: — Da colla caputque;

Castore dignus erit. —

Her. XIII. 156: Adde sonum cerae, Protesilaus erit.

V. 33a: Nec me despicias, si sim tibi corpore parva.

V. 34a: Mensuramque brevis nominis ipsa fero.

V. 33: Sum brevis, at nomen quod terras impleat omnes.

V. 34: Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

Omnes hos versus exhibet codex Harleianus. Prius distichon 33a, 34a omittitur in libro Francofurtano et in excerptis Parisinis; in reliquis codicibus scripti sunt v. 33a, 34a et omittuntur v. 33, 34. Plerique editores recentiores secuti sunt codicis Francofurtani auctoritatem neque receperunt versus illos 33a, 34a. Totum hunc locum autem Baehrensius⁵⁰ nuper defendere conatus est; cui non solum ille verborum lusus arridet, sed etiam versuum aequabilitas maxime placet, ex qua brevis corporis habitus et fuscus color per bina disticha impugnentur. Iacturam autem versuum, quam alii codices alio loco fecerunt, vir doctus sic excusat: «In communi archetypo librarium a priore colo (34a) ‚nominis ipsa fero‘ oculis aberrasse ad alterum (34), errore autem animadverso posterius distichon in margine a correctore esse adiectum: correcturam esse intellectam ab eo, qui scripsisset Harleiani codicis exemplar; in aliis archetypi apographis modo hoc modo illud distichon solum esse receptum.» Vries⁵¹ autem offensus et specie pentametrorum propemodum aequali et illa infaceta nominis et staturae comparatione putat genuinum quidem esse distichon 33a, 34a, versum tamen 34a foede esse corruptum, quippe in quo esset agendum de brevitate non nominis sed corporis, ut docet v. 33, ubi Sappho concedens parvam sibi esse staturam exclamat: ‚sum brevis: at nomen est.‘ Totius autem loci sententiam hanc fere fuisse statuit: «Noli me despiciere quod sum corpore parva, noli ingenium meum metiri ex humili mea statura. Corpore sum exiguo, fateor, sed nomen mihi est magnum et amplum, gloria mea per omnem terrarum orbem est celebrata: haec est mensura, qua metiri me debes.»

Sed, ut Barbui⁵² verba, quibus Baehrensii atque Vriesei opiniones impugnat, mea faciam: Hac (sc. Baehrensii) quidem coniectura facile sane

⁴⁹ Teuffel, Hist. litter. Lat. p. 527 dicit: «Der Brief der Sappho macht sich durch Carikieren seiner (i. e. Ovidii) Eigenthümlichkeiten und durch Plumpeheit (z. B. v. 24, 93, 207, 49f, 133f, 144ff) sehr verdächtig».

⁵⁰ l. l. p. 52 sq.

⁵¹ l. l. 50 sq.

⁵² l. l. 10 sq.

explicatur, quo modo factum sit, ut superius tantum distichon a recentioribus exemplaribus exhibeatur, sed non tam recte explicat vir doctus, quare in antiquissimo codice — taceo enim de excerptis Parisinis, in quibus illud praetermitti poterat — eius vestigia non compareant. Non enim veri simile est scribam huius libri versus in marginem relegatos in textum ita recepisse, ut eos, qui textui iam inserti essent, eiceret. Quam ob rem facilius hoc incrementum habebris explicatum, si statueris superius distichon interpolatoris studio in textum irrepsisse. Sed ne inconsiderate ac temere agere videamur, perpendendus sententiarum ordo est, qui illis versibus admissis nascitur. Ac primum quidem in lectione libri Harleiani, cum indicativus ‚fero‘ et coniunctivus ‚sim‘ uno tenore se excipiant, orationis inconstantia recte reprehenditur. Deinde in priore pentametro, ne oratio sensu careat, necesse est ‚nomini‘ plane diversam vim atque in posteriore tribuamus, scilicet ut de nomine Sapphus ipso litteris constante cogitetur. Sed praeterquam quod huius modi verborum lusus puerilis et tamquam per ambages exercitus abhorret a veterum vel mediocrium poetarum consuetudine, ne Sapphus quidem nomen tam parvis litteris constat, ut idonea efficiatur comparatio. Porro neque inepta repetitio ferri potest, quippe quae per tres fere versus pateat. Baehrensii autem coniectura ‚feram‘ pro ‚fero‘ reponentis nulla alia difficultate expeditur, nisi dispari orationis forma, quam alioquin iam senserant, qui posteriores libros exararunt, alii ‚sim‘ in ‚sum‘ mutantes, alii particula ‚que‘ deleta sic scribentes:

Mensuram parvi nominis ipsa fero.

Prima mutatione futilis iteratio non tollitur; alteram correctionem si animadvertas, Sappho male, ne dicam ridicule, rem suam egit brevem corporis habitum brevitate nominis sic defendens: «ne me despicias, si sum brevis: meum quoque nomen breve est.» E contrario res optime se habet in altero disticho:

Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

Cf. Fast. I. 603: Magne, tuum nomen rerum est mensura tuarum
ex Pont. I. 2. 1: Maxime, qui tanti mensuram nominis imples.

Met. XII. 617 sq.: At vivit, totum quae gloria compleat orbem.

Haec illi mensura viro respondet —

Her. IX. 109: Illi procedit rerum mensura tuarum.

Etiam illam sententiam, quam versui 34a Vries tribuit: ‚noli ingenium meum metiri ex humili mea statura‘ ab eius forma, ut nunc est, toto coelo distare plane manifestum est, neque, ut ad eam sententiam perveniamus, satis erit versum tantum emendasse, sed magis eo relegato alium novum in eius locum subrogasse. Quae corrigendi ratio vero nomine interpolatio appellatur. Praeterea etiam si Vriesei interpretationem admiserimus, illa

insulsa, de qua diximus, repetitione non expediemur, nam ea quae v. 33a, 34a dicuntur, superioribus vel subsequentibus continentur.⁵³

His omnibus reputatis prius distichon, ut spurium, a librario nescio quo amplificandorum poetae verborum causa vel de suo ingenio adiectum vel aliunde forte petatum, persuasum habeo. Nam propter eius ineptias ne imitatori quidem Ovidii id adscribere possumus.

Ceterum in latinitate, quae medii aevi dicitur, similes versus bis occurrunt: apud Theodolphum⁵⁴ episcopum, circ. an. 821 mortuum:

Carm. II. 2. 31: Nec tibi displiceant, quoniam sunt corpore parvo,
et apud Pseudo-Ovid.⁵⁵ in carmine de aurium medicamine inscripto, v. 1:
Nec tibi displiceam, quia sic sum corpore parvus.

V. 39 sq.: Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

Hoc distichon, in quo pentametri partes prior et posterior sunt prorsus eadem, nullo Ovidianorum exemplo potest defendi neque est dignum Nasone. Hanc ob causam v. 40 Vries⁵⁶ corruptum ducens pro ‚nulla‘ loco posteriore cum duobus deterioris notae codicibus scribit ‚ulla‘ et interrogationis signum in fine ponit. Proponit igitur:

Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, ulla futura tua est?

Quae coniectura carente omnium fere codicum auctoritate neque sensus fit melior neque pentametrum mori Ovidii consentaneum. Itidem perverse agit Bodenstein,⁵⁷ qui hunc versum defendere conetur contendens eum aliquatenus defendi posse eo, quod prior pentametri pars, ipsa constructione arctius cum hexametro suo coniuncta, paululum saltem a posteriore sit distincta. Mira autem sunt, quae ad hunc versum 40 adnotat Merula (in ed. Micyll. 1549. I., p. 206), conduplicationem eam non tam ad emphasin esse factam ab Ovidio, quam ut geminando eadem verba proprietatem artis poeticae Sapphus indicaret: tradere enim Demetrium Phalereum gratiam ab ea carminibus esse quaesitam ἐκ τῆς ἀναδιπλώσεως.⁵⁸

V. 40: At mea cum legeres, etiam formosa videbar.

Huic versui in plerisque codicibus ita tradito insunt complura vitia: nam primum ‚mea‘ tantum pro ‚mea carmina‘ non dici potest; ideo aliquot

⁵³ Barbu l. l. 12.

⁵⁴ editio Paris. 1646.

⁵⁵ Kunz, De Ovidii med. fac. p. 29.

⁵⁶ l. l. p. 54.

⁵⁷ Studien zu Ovids Heroides, Jahresbericht des Dom-Gymnasiums zu Merseburg 1882, p. 12.

⁵⁸ Vries, l. l. p. 53.

libri manu scripti ,me' praebent, quod non est melius. Deinde permirum est, ut dicatur Phaoni carmina Sapphus legenti ipsam puellam visam esse pulchram; nam quantumlibet pulchra sunt carmina, foedae per se faciei nihil illa lecta adiciunt decoris. Denique vocabulum ,etiam' nullum habet sensum, quia superioribus versibus non bona eius corporis, sed vitia enumerata sunt. Itaque hoc loco pro ,etiam' verbum ,tamen' exspectaverimus.

Quam ob rem viri docti hunc versum alius alio modo emendare conati sunt. Plerique Medenbachii Wakkeri coniecturam sequentes pro ,legeres' scribunt ,legerem.' Sed ea coniectura efficitur hiatus in versu non tolerandus. Melius non est, quod proposuit Baehrens:

At mea cum legerem, ore etiam formosa videbar,
cum versu ita mutato duplex fiat elisio. Vries autem admissio ,legerem' pro ,etiam' ex aliquo deteriore codice recepit ,tibi iam' atque legit:

At mea cum legerem, tibi iam formosa videbar,
qua interpolatione versum non meliorem factum esse non opus est ut demonstrem. Difficile enim est orationis Ovidianae colorem dare versui, quem Ovidius non fecit.

V. 53: O vos erronem tellure remittite nostrum.

In hoc versu offendunt vocabula ,tellure' et ,nostrum.' Quod ,nostrum' perquam abundanter ad erronem accedit, ,tellure' autem sic nude positum tolerari non potest, plerique editores pro ,nostrum' ex codice Guelferbytano 82. 6. receperunt ,vestra,' quod est ibi secunda manu scriptum. Pro verbo ,erro' utitur Ovidius ,desultor'.

Cf. Am. I. 3. 15.: Non mihi mille placent. Non sum desultor amoris.
Tu mihi, siqua fides, cura perennis eris.

Th. Birt⁵⁹ de hoc versu dixit: «In versu 53 ne vocis ,erronem' audaciam premam, ,tellure' tam prave superfluit, ut si hic esset Ovidius, corruptum locum esse dicerem».

V. 63: Arsit inops frater meretricis captus amore.

Vocabulum ,inops' non recte se habet, cum Sapphus frater illam meretricem amare incipiens eamque redimens non inops fuerit, sed postea demum factus sit. Ideo Vries⁶⁰ proponit ,mox.' Sed quomodo ex ,mox' in codicibus ,inops' factum sit, non potest demonstrare.

V. 68: Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.

Hic versus ex Propertio desumptus esse videtur.

Cf. Propert. II. 28. 14: Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.

⁵⁹ Mus. Rhen. XXXII., p. 388.

⁶⁰ l. l. p. 63.

V. 79: Molle meum levibusque cor est violabile telis.
Adiectivum ‚violabile‘ in Ovidii operibus non invenitur.

V. 113 sq.: Postquam se dolor invenit, nec pectora plangi
Nec puduit scissis exululare comis.

V. 113 primum ob metricas rationes reprehendendus est, quippe qui contineat duplicem caesuram — post secundam simul et quartam thesin —, cuique insuper pes primus vocabulo constet spondaico, quod nullo Ovidii exemplo defendi potest. Deinde latine non dicitur⁶¹ ‚dolor se invenit,‘ sed ‚dolor invenit iter.‘ Forma ‚se invenit‘ enim non nisi posterioribus temporibus eaque numquam negatione non addita in litteris latinis occurrit, sicut Petronius in Sat. 47 habet: «Multis iam diebus venter mihi non respondit, nec medici se inveniunt,» et Seneca de benef. V. 12: «Minusque se inveniunt.» Altera autem lectio, quam exhibet codex Harleianus cum aliis quibusdam ‚Postquam se dolor imminuit,‘ aequae est vituperanda. Nam et metrum eodem laborat vitio, et verborum sententia proposito plane est contraria. Non enim hic agitur de dolore paullatim imminuto, sed de animi affectu tum acri et vehementi, ut poëtria desperationis plena pectus plangat scissisque crinibus maestos edat ululatus.⁶² Merito igitur hic versus doctis⁶³ ita displicuit, ut argumentum inde sumerent quo demonstrarent carmen ab Ovidio esse abiudicandum. Contra alii eum restituere conati sunt. Baehrens enim scribere vult:

Postquam se dolor immisit nec pectora plangi — Sed haec coniectura primum rem metricam nihil adiuvat: nam eadem versus forma manet; deinde verba ‚dolor se immisit‘ sic absolute posita non recte se habent. Dicitur quidem ‚se in hostium multitudinem immittere, se in undas immittere‘ etc., nudum illud ‚se immittere‘ autem nullo exemplo comprobatur neque vis dictionis ‚postquam se dolor immisit‘ intellegi potest.

Vries⁶⁴ autem ex codice Cremifanensi 329 et editione principi Romana an. 1471 desumpsit ‚minuit‘ et pro ‚dolor‘ coniecit ‚torpor‘. Igitur versum sic scripsit:

Postquam se torpor minuit nec pectora plangi.

Sed etiam sic res non est expedita, cum neque offensio in voce spondaica primi pedis posita tollatur neque torporem se ipsum minuire cogitari possit. Neque melior est scriptura, quam Barbu⁶⁵ proposuit. Is enim legit:

Sed postquam dolor emersit, mea pectora planxi.

⁶¹ Baehrens, l. l. p. 59.

⁶² Vries, l. l. p. 81.

⁶³ Birt, Animad. ad Ovid. her. epistulas, Mus. Rehn. tom. XXXII., p. 388.

⁶⁴ l. l. p. 82.

⁶⁵ l. l. p. 37.

Nam difficile est intellegere, quomodo fieri potuerit, ut verbum ‚sed‘ in omnibus codicibus omitteretur neque ullus liber ‚emersit‘ exhiberet; quibus rebus perpensis illa scriptura mihi non aliud videtur atque audax coniectura. Quod ad alterum hemistichium attinet, quod Barbu, codicem Harleianum nonnullosque alios sequens, ‚mea pectora planxi‘ scripsit, dicendum est et pronomen ‚mea‘ prorsus esse supervacaneum, cum per se intellegatur Sappho sua pectora planxisse neque cuiusquam alterius, et lectionem ‚plangi‘ propter infinitivum sequentem ‚exululare‘ anteponendum esse. Huius carminis scriptori enim ante oculos observatum esse videtur versus 93 sq. Her. XI.:

Tunc demum pectora plangi

Contigit inque meas unguibus ire comas.

Similes loci sunt:

Her. V. 71 sq.: Tunc vero rupique sinus et pectora planxi

Et secui madidas ungue rigente comas.

Her. X. 145: Has tibi plangendo lugubria pectora lassas —

Her. X. 15 sq.: Protinus adductis sonuerunt pectora palmis,
Utque erat e somno turbida, rapta coma est.

V. 129 sq.: Oscula cognosco, quae tu committere linguae

Aptaque consueras accipere, apta dare.

Mihi displicet locutio: ‚oscula committere linguae‘. Dicitur quidem ‚femur femori committere‘, ‚dextram dextrae committere‘.

Cf. Am. I. 4. 43: Nec femori committe femur —

Her. II. 31: — commissaque dextera dextrae,

sed ‚oscula committere linguae‘ non invenitur in carminibus Ovidianis neque facile cogitari potest, quomodo linguae oscula dentur.⁶⁶ Nam illa exempla, quibus Vries⁶⁷ hanc locutionem defendebat, causae eius nihil prosunt:

Am. II. 5. 23 sq.: Improba tum vero iungentes oscula vidi:

Illa mihi lingua nexa fuisse liquet.

Am. III. 7. 9: Osculaque inseruit cupide luctantia linguis.

Am. III. 14. 23: Illic purpureis condatur lingua labellis

Am. II. 5. 57 sq.: — quod tota labellis

Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.

Versibus enim allatis dicitur tantum ‚oscula iungi, oscula lingua necti, oscula linguis luctantia inseri, linguam labellis condi, linguam labellis recipi‘, quod certe non est ‚oscula linguae dare‘. Nam oscula non linguae dantur vel committuntur, sed osculando linguae necti possunt.

⁶⁶ Recte rogat Bodenstein, l. l. p. 10: «Was soll der Ausdruck ‚oscula linguae committere‘ bedeuten?»

⁶⁷ l. l. p. 85 sq.

V. 131 sq.: Blandior interdum verisque simillima verba
Eloquor, et vigilant sensibus ora meis.

Locutio ‚vigilant sensibus ora meis‘ a Birtio⁶⁸ ridicula iure vocatur.

V. 153 sq.: Sola virum non ulta pie maestissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.

Adverbium ‚pie‘, quod in huius carminis versu 153 legimus, constanter est vitatum ab Ovidio, dum adiectivum aliquoties invenitur.

Cf. Am. III. 9. 37: Vive pius, moriere. Pius cole sacra —
ex Pont. III. 1. 119: — non impia Procne

Filiave Aeëtae voce movenda tua est.

Baehrens cum in codice Harleiano pro ‚pie‘ scriptum ‚pia‘ invenisset, proposuit:⁶⁹

Sola virum noxa ulta pia maestissima mater,
quod non est nisi coniectura arbitraria.

V. 162: Constitit ante oculos Naias una meos.

Ita hic versus in Francofurtano solo legitur; ceteri codices omnes exhibent: ‚Formosus puer est visus adesse mihi‘. Veram autem esse lectionem libri Francofurtani patet ex v. 175, ubi Sappho compellata respondet verbis:

Ibimus, o nymphe, monstrataque saxa petemus.

Illa autem interpolatio insulsa quomodo in codices irreperit, ostendit Baehrens:⁷⁰ Nimirum in apographo quodam archetypi propter idem subsequentis versus initium excidisse pentameter videtur, in cuius locum sciolus aliquis temerarius versiculum et inscite conformatum et male convenientem subrogavit.

Heinsius autem lectione ‚Naias una‘ offensus est et ‚Naias uda‘ legere voluit. Etiam Bentleio et Birtio⁷¹ vocabulum ‚unus‘ pro ‚aliquis‘ vel ‚quidam‘ positum displicuit. Quibus in rebus viri docti erravere: nam Ovidio proprium esse numerale quod vocant verbum pro eo, quod sit ‚aliquis‘ vel ‚quidam‘ adhibere multa exempla docent:

Met. VIII. 786 sq.: — montani numinis unam

Talibus agrestem compellat Oreada dictis.

Fast. IV. 79: Huius erat Solymus Phrygia comes unus ab Ida.

Met. VI. 578 sq.: — perfectaue tradidit uni.

Utque ferat dominae, gestu rogat illa —

⁶⁸ l. l. p. 388.

⁶⁹ l. l. p. 60.

⁷⁰ l. l. p. 53.

⁷¹ l. l. p. 388.

Fast. V. 663 sq.: — Clare nepos Atlantis, ades! quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleiās una Iovi.

In hoc ultimo versu eadem ratione ductus atque nostro loco Bentleius
,Pleiās uda' habet. Sed illam dicendi consuetudinem adscivisse poetam e
vetere vel familiari sermone documento esse videntur multa exempla, quae
apud Plautum et Terentium inveniuntur. Ad Ter. Andr. I. 1. 90 sqq.:

— forte unam aspicias adulescentulam,
Forma — Bona fortasse — Et voltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.

Donatus haec praebet: <Ex consuetudine dicit ,unam,' ut dicimus
,unus est adulescens'; tolle ,unam' et ita fiet, ut sensui nihil desit: sed
consuetudo mirantis non erit expressa. ,Unam' ergo $\tau\hat{\eta}\ \dot{\iota}\delta\iota\omega\tau\iota\sigma\mu\hat{\eta}$ dixit,
vel ,unam' pro, quandam'.⁷²

Ovidius igitur vocabulo ,unus' saepe pro ,aliquis' usus est; at propterea
nequaquam affirmabimus eum nostrum carmen fecisse.

V. 174: Nec gravidae lacrimas continuere genae.

Dictio ,gravidae genae' pro ,genae lacrimis plenae vel humidae' a
viris doctis iure reprehenditur;⁷³ nam nullus poeta Latinus ita dicere ausus
est praeter Consolationis scriptorem ad Liviam, ubi legitur v. 115 sq.:

Erumpunt iterumque gravant gremiumque sinusque,
Effusae gravidis uberibusque genis.⁷⁴

Melior est lectio codicis Harleiani:

Nec gravidas lacrimas continuere genae,
quod multo pulchrius magisque graphice dictum commendat Baehrens.⁷⁵

Ovidius idem fere dicens utitur dictione ,tumidi ocelli':

Am. III. 6. 79 sq.: — et vestem tumidis praetendit ocellis

Atque ita se in rapidas perdita misit aquas.

Epistulae Sapphus poeta illo versu scribendo in animo habuisse vide-
tur v. 70 A. a. II.:

Nec patriae lacrimas continuere genae.

V. 199: Lesbides aequoreae, nupturaque nuptaque proles.

In hoc versu inepte puellis Lesbiacis adponitur adiectivum ,aequoreae',
quasi poeta ibi referret eas esse insulanas.⁷⁶ Frustra enim ut defenderent
adiectivum, attulerunt viri docti⁷⁷

⁷² Cf. Barbu, l. l. p. 12 sq.; Vries, l. l. p. 97.

⁷³ Birt, l. l. p. 388.

⁷⁴ Conferatur, quod a me dictum est p. 12 sqq. disputationis meae.

⁷⁵ l. l. p. 62.

⁷⁶ Birt, l. l. p. 388.

⁷⁷ Naguiewski, l. l. p. 13.

Met. XV. 752: Scilicet aequoreos plus est domuisse Britannos,
ubi aequoreos Britannos vim habet: Britanni, qui procul in alto habitant.
Praeterea ‚aequoreus‘ saepe usurpatur de eo, quod in mari vivit, ut
‚aequorea origo‘:

Met. X. 617: Quid, quod ab aequorea numeratur origine quartus.

Baehrens⁷⁸ versum restituere voluit legendo:

Lesbides aequales, nupturaque nuptaque proles,

Vries⁷⁹ autem praetulit:

Lesbides aequales, nupturaque nuptaque proles.

Sed nemo non videt allocutioni ‚Lesbides aequales‘ vel ‚aequaevae‘
aliquid duri esse neque intellegi potest, quamobrem Sappho solas aequales
puellas appellaverit. Ceterum Vries ipse non multum fiduciae coniecturae
suae habere videtur, cum profiteatur: «Sed etiamsi id (sc. aequaevae)
admittere nolueris, hoc mihi certo certius constat ex eiusmodi obser-
vationibus — praesertim in misera codicum huius epistulae condicione —
nihil quicquam posse effici, nisi ut statuamus textum hic illic esse
corruptum».⁸⁰

V. 211 sq.: Sive redis, puppique tuae votiva parantur

Munera, quid laceras pectora nostra mora.

Totum hoc distichon aliquid offensionis habet: nam sententiae con-
structionem illam, quae evenit condicionalibus sententiis per particulas
‚sive-sive‘ (v. 211, 217) diiunctis et interposita prioris membri apodosi
interruptis omnes boni poetae vitarunt, deinde dicendi modus ‚puppique
tuae votiva parantur numera‘ rudem Ovidii imitorem prodit. Plerique
codices quidem exhibent ‚paramus‘ pro ‚parantur‘, quod etiam peius est:
nam votiva munera puppi non parantur nisi in loco, ubi puppis stat, Sappho
autem haec scribens Lesbi erat, non in Sicilia, unde Phaon iter aggredi
debebat. Sed Birt⁸¹ quod dictionem «lacerare⁸² pectora mora» reprehendit,
non recte egit, quoniam similem dictionem complures Ovidii loci habent:

Cf. Her. III. 138: Nec miseram lenta ferreus ure mora

Met. III. 693: — ut ira mora vires absumere posset

Trist. I. 3. 8: Torpuerant longa pectora nostra mora.

Trist. IV. 6. 25 sq.: Tristior est etiam praesens aerumna priore:

Ut sit enim sibi par, crevit et aucta mora est.

Cum hoc distichon in libro Harleiano et duobus aliis omittatur,
Baehrens⁸³ censet id non esse genuinum, sed in archetypi margine additum

⁷⁸ l. l. p. 64.

⁷⁹ l. l. p. 108.

⁸⁰ l. l. p. 144.

⁸¹ l. l. p. 388.

⁸² Vel «cruciare»: codex Francofurtanus enim praebet «crucias».

⁸³ l. l. p. 66.

ab aliquo, qui falso putaret alterum ‚sive‘ (v. 217), quod responderet, requirere. At verba ‚solve ratem‘ (v. 213) non statim sic potuerunt dici post illud ‚Hoc te, si saperes, lente, decebat opus‘ (v. 210), sed omnino requirunt ut praecesserit aliquid, in quo de reditu futuro et de navi profectura ageretur.⁸⁴

V. 218: Nec tamen invenies, cur ego digna fuga.

Frigidum admodum et insulsum est, ut Vries⁸⁵ recte docet, illud ‚invenies,‘ de Phaone dictum. Nam ‚invenire‘ est inquirentis, rem aliquam accurate examinantis. At quis repraesentare sibi possit Phaonem dedita opera animo volventem et discutientem utrum fugienda esset Sappho necne, ac tandem ‚invenientem‘ se eam fugere oportere? Tali in re non argumentis utrimque perpensis, sed animi affectu ducimur. Sed etiam ‚digna fuga‘ minime potest esse ‚digna quae fugiar,‘ sed tantum ‚digna quae fuger,‘ ‚quae in exilium mittar,‘ ut multis Ovidii locis ostenditur:

Trist. III. 14. 9: Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis

Trist. IV. 10. 89 sq.: Scite, precor, causam — nec vos mihi fallere
fas est —

Errorem iussae, non scelus, esse fugae.

ex Pont. IV. 13. 41 sq.: Carmina nil prosunt. Nocuerunt carmina quondam,
Primaque tam miserae causa fuere fugae.

Itaque Vries, ut dicendi modum efficiat Ovidianum, hunc versum mutare cogitur in ‚Non tamen invenio, cur ego digna fugi‘. Ad quod ego quidem nihil respondeo, quoniam haec mera coniectura est codicum auctoritate carens.

V. 219 sq: Hoc saltem miserae crudelis epistula dicat,

Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.

Vocabulum ‚hoc‘ traditum in libro Francofurtano nimis prosam sapere recte iudicat Baehrens.⁸⁶ In codicibus Harleiano et Fuldensi quidem pro ‚hoc‘ est ‚ah,‘ in aliis ‚o‘. Sed verbo ‚hoc‘ (sc. ‚te fugisse Pelasgida Sapphon) carere minime possumus, cum ‚dicat‘ per se manifestum non sit.⁸⁷

Versus ‚Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae‘ autem iam Heinsio tam insolitus videbatur, ut genuinum agnoscere eum vix posset, neque Bentleius aliter de toto disticho iudicavit. Nam de malo saltus exitu cogitandum non esse apparet ex v. v. 163 sqq.;

Quoniam non ignibus aequis

Ureris, Ambracia est terra petenda tibi.

⁸⁴ Vries, l. l. p. 112 sq.

⁸⁵ l. l. p. 116 sq.

⁸⁶ l. l. p. 67.

⁸⁷ Vries, l. l. p. 117.

Phoebus ab excelso, quantum patet, aspicit aequor:
Actiacum populi Leucadiumque vocant:
Hinc se Deucalion Pyrrhae succensus amore
Misit et illaeso corpore pressit aquas:
Nec mora, versus amor figit lentissima Pyrrhae
Pectora: Deucalion igne levatus erat.
Hanc legem locus ille tenet. Pete protinus altam
Leucada, nec saxo desiluisse time.

Naias igitur ultimis verbis poetriam adhortatur, ne timeat, ne de promunturio Leucadio se mittat: nam eam post saltum, ut olim Deucalion, non solum integram, sed etiam amoris igne levatam fore. ‚Fata petere‘ autem, quod in nostro versu legimus, significat ‚mortem oppetere‘.

Cf. Her. XIX. 117 sq.: Quodsi quam sciero, moriar-mihi crede-dolendo.
Jamdudum pecca, si mea fata petis.

Itaque versus 220. discrepat cum versibus 163 sqq. Neque quidquam ad rem facit, quod Sappho v. 219 se miseram nominat: quae misera est, quod a Phaone non amatur.

Versibus 189 sq. autem:

An potes, o scopulis undaque ferocior omni,
Si moriar, titulum mortis habere meae?

Sappho dixit tantum fieri posse, ut de scopulis desiliens periret. Itidem est admodum perverse dictum ‚fata Leucadiae aquae‘ pro ‚fata in Leucadia aqua‘.

Vidimus igitur hoc distichon tantis mendis laborat, quod non Ovidius facere potuerit. Propterea non mirabimur, quod in eo interpretando et emendando frustra se torserunt Sapphus epistulae propugnatores: enimvero difficile est elegantiam Ovidianam dare carmini, quod Ovidius non scripsit.

III.

Faciamus iam initium a quaestione ad rationem metricam pertinente, ex qua etiam nonnulla in diiudicanda re colligere nobis licebit. Negari enim non potest cuique poetae peculiare propriumque in pangendis versibus inesse ingenium, quod extra certos fines numquam egredi solet. Atque notum est Ovidio, cui nostra epistula adscribitur, tam promptam et expeditam carminum componendorum facultatem fuisse, ut nullo fere negotio ac paene inconsiderate in rhythmos incideret, veluti ipse testatur:

Trist. IV. 10. 25 sq.: Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod temptabam dicere, versus erat.

Ut autem poeta in carminibus suis persaepe eundem orationis habitum atque colorem usurpavit easdemque sententias repetivit, ita etiam rationibus metricis ratas leges secutus est. Quibus rebus carmina Ovidiana facile cognoscuntur. Ideo est operae pretium etiam in investiganda Sapphus

epistula rem metricam diligenter disquirere, ut videamus, utrum illa rationibus metricis cum haud dubiis Ovidii carminibus congruat necne. Qua in re non nihil inveniemus, quod non iniuria suspicionem moveat.

V. 23: Sume fidem et pharetram: fies manifestus Apollo.

In hoc versu offendit elisio verbi pyrrhichiaci in ‚m‘ exeuntis in thesi secunda: ‚fidem et‘. Talis enim elisio Nasoni tam odiosa erat, ut eam in Heroidibus omnino evitaret et in carminibus iuvenalibus bis tantum sibi permisit:

A. a. III. 587: Adde forem, et duro dicat tibi ianitor ore.

Rem. 359: Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere. Sed tu —

In posterioribus autem operibus saepius invenitur:

Met. I. 488: Ille quidem obsequitur. Sed te decor iste quod optas.

Met. I. 564: Utque meum intonsis caput est iuvenile capillis.

Met. II. 48: Inque diem alipedum ius et moderamen equorum.

Met. II. 787: Illa deam obliquo fugientem lumine cernens.

Met. III. 443: Scitis enim, et multis latebra opportuna fuistis.

Met. IV. 131: Utque locum, et visa cognoscit in arbore formam.

Met. VII. 660: Eurus enim attulerat — ‚fuerit mutatus in austros‘.

Met. IX. 355: Fronde manum implevit. Frondes caput omne tenebant.

Met. X. 479: Perque novem erravit redeuntis cornua lunae.

Met. XI. 341: Fecit avem et subitis pendentem sustulit alis.

Met. XIII. 857: Quique Iovem et caelum sperno et penetrabile fulmen.

Met. XIV. 532: Iamque picem et ceras, alimentaue cetera flammae.

Fast. I. 489: Passus idem est Tyrii qui quondam pulsus ab oris.

Trist. I. 5. 39: Saepe fidem adversis etiam laudavit in armis

ex Pont. II. 2. 53: Vivit enim in vobis facundi lingua parentis

ex Pont. II. 10. 51: Redde vicem, et, quoniam regio felicior ista est

ex Pont. IV. 12. 45: Nec, quid agam, invenio, nec quid nolimve velimve.

In tertia thesi duo habemus exempla:

Met. XI. 630: Iris abit. Neque enim ulterius tolerare vaporis.

Met. XIV. 227: Lucibus isse novem et terram aspexisse petitam.

In quarta thesi tria:

Met. III. 204: Quid faciat? repetatne domum et regalia tecta?

Met. IV. 17: Nomina, Liber, habes. Tibi enim inconsumpta iuventa est.

Met. XIII. 69: Corripuit, trepidoque fugam exprobravit amico.⁸⁸

V. 32: Ingenio formae damna rependo meae.

Maxime displicet ‚rependo‘ per amphibrachyn dictum, cum Ovidius nunquam sibi illam indulserit licentiam. Quam ob rem propositum est iam

⁸⁸ Eschenburg, *Metr. Untersuchungen*, p. 2, 13.

a Benteio ‚repende,‘ quod nuper Baehrens⁸⁹ et Vries⁹⁰ non modo probaverunt, sed eo etiam processerunt, ut scriberent:

Ingenio formae damna repende meo,
qua versus mutatione sententia perversa efficitur. Nam non Phaon aliena damna alienis bonis neque alius quisquam nisi ipsa Sappho damna sua suo ingenio rependere potest. Quare lectio tradita est retinenda. Constat quidem Ovidium saepenumero voces iambicas, creticas, spondiaticas, in ‚o‘ desinentes, brevi finali usurpasse; sed locum, quo corripitur ‚o‘ finale in amphibrachy, ut in nostro versu, nullum Ovidii carmen nobis praebet.

V. 40: Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

De hoc versu, in quo partes prior et posterior sunt prorsus eadem, iam p. 19 fusius egi.

V. 57: Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos.

Sicanos, syllaba prima correpta, producta altera, alienum est ab Ovidio, qui in vocabulis ‚Sicanus,‘ ‚Sicanis‘ primam syllabam productam, alteram correptam adhibere solitus est.

Cf. Met. V. 464: Sicaniam repetit. Dumque omnia lustrat eundo.

Met. V. 495: Sicaniam peregrina colo. Sed gratior omni.

Met. XIII. 724: Sicaniam, tribus haec excurrit in aequora pinnis.

Met. XV. 279: Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas.

Ibis 596: Plurima qua flammis Sicanis Aetna vomit.

V. 83: Sive abeunt studia in mores artisque magistra —

Rarissime occurrit brevis syllaba in tertia thesi elisa, velut in hoc versu ‚studia in‘.

Cf. Am. III. 15. 5: Siquid id est, usque a proavis vetus ordinis heres.

Her. XIII. 139: Arma dabit, dumque arma dabit, simul oscula sumet.

V. 86: Abstulit atque anni, quos vir amare potest?

Rare inveniuntur in secundo pede voces trochaicae in longa elisae, quales in nostro versu habemus ‚atque anni‘.

Cf. Am. I. 1. 4: Dicitur atque unum surripuisse pedem.

Am. I. 12. 6: Cautius, atque alte sobria ferre pedem.

A. a. I. 174: Venere, atque ingens orbis in Urbe fuit.

A. a. I. 648: Imbribus, atque annos sicca fuisse novem.

A. a. III. 18: Fertur et ante annos occubuisse suos.

A. a. III. 282: Quaeritur atque illis haec quoque parte decor.

⁸⁹ l. l. p. 50.

⁹⁰ l. l. p. 49 sq.

Her. II. 40: Altera tela arcus, altera tela faces.

Her. VI. 56: Hic tibi bisque aestas bisque cucurrit hiemps.

Her. VI. 76: Cor dolet, atque ira mixtus habundat amor.

Fast. III. 862: Stant simul ante aras, iunctaque fata gemunt.

ex Pont. II. 2. 124: Nec licet ante ipsos procubuisse deos.

V. 94: O decus atque aevi gloria magna tui.

De hoc versu idem dicendum est, quod de versu 86 dixi.

V. 96: Non ut ames oro, verum ut amare sinas.

Elisio, quae est hoc loco, verum ut', ab Ovidii ratione certe abhorret, quippe qui syllabas in ,m' exeuntes veritus sit in altera pentametri parte elidere; sed etiam ab aliis poetis Latinis talis elisio plerumque vitata est. Plane igitur hic versus ostendit epistulam nostram subditiciam esse. Nam frustra se torserunt viri docti, ut lectionem minus impeditam efficerent. Codicum enim nonnulli, inter hos etiam Francofurtanus, exhibent ,verum ut', plerique ,sed ut' vel ,sed quod', pauci ,sed te ut'; ,sed quod', quod est sine iusto sensu, praebent etiam libri Harleianus et Fuldensis. Heinsius igitur reposuit ,Non ut ames oro, me sed amare sinas'; quae coniectura non est probabilis, quod vocum collocatio orationem reddit difficilem. Baehrens⁹¹, ut erroris origo intellexeretur, haud feliciter proposuit: ,Non ut ames oro, nos sed amare sinas'. Misere autem mutilavit versum Vries⁹² interpunctione quoque mutata sic legens:

Non ut ames oro serus: amere sinas.

Nam vocem ,serus' hoc loco carere apto sensu quisque facile intellegit neque quidquam ad rem faciunt exempla, quae vir doctus attulit:

Her. XVI. 109: Ad possessa venis praeceptaque gaudia serus.

Her. II. 101 sq.: Et tamen exspecto. Redeas modo serus amanti,
Ut tua sit solo tempore lapsa fides.

Deinde oppositio quoque desideratur.

Barbuio⁹³ autem non tantum offensionis vetus lectio habere videtur, ut aliqua emendatione opus sit. Sed exemplum, quo coniecturam suam confirmaret, nullum, quod esset aptum, afferre potuit. Nam in versu 24. Am. 13:

Ipsae feram ante tuos munera vota pedes,

Ovidius sibi permisit quidem pyrrhichiacum in ,m' desinens in thesi elisioni obnoscium facere, sed haec elisio in priore pentametri parte invenitur. In versibus Met. III. 557: Quem quidem ego actutum, modo vos absistite, cogam —

et Her. VIII. 71: Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci —

⁹¹ l. l. p. 58.

⁹² l. l. p. 76 sq.

⁹³ l. l. p. 30 sq.

elisiones in hexametro leguntur, quod non tam diligenter, ut pentameter a poetis tractatum esse notum est. Exemplum autem.

Her. XX. 180: Et tu continuo, certe ego salvus ero
nihil ad rem facit, quod hic versus corruptus esse videtur;⁹⁴ praeterea totam hanc epistulam (XX.) adulterinam esse veri simile est.

De *versu 113*: Postquam se dolor invenit, nec pectora plangi —
vide p. 21 sq.

V. 125: Illic te invenio, quamvis regionibus absis.

Pronomina monosyllaba in secunda thesi hexametri apud Ovidium rare eliduntur.

Cf. Am. 19. 21: Et sine me ante tuos proiectum in limine postis —
ex Pont. IV. 4. 35: Curia te excipiet, patresque a more vocati.

V. 154 sq.: Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.

Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores.

Eiusmodi repetitionis, ut ultima pentametri verba prima sint hexametri insequentis, pauca tantum apud Ovidium exempla exstant.

Cf. A. a. I. 536 sq.: ‚Perfidus ille abiit. Quid mihi fiet?‘ ait.

‚Quid mihi fiet?‘ ait. Sonuerunt cymbala toto —

Her. XIII. 140 sq.: Imponet galeam barbaraque arma dabit.

Arma dabit, dumque arma dabit, simul oscula sumet.

Fast. III. 724 sq.: Dicere. Sed non est carminis huius opus.

Carminis huius opus causas expromere, quare —

V. 173: Ut monuit, cum voce abiit. Ego frigida surgo.

Elisio in prima tertiæ pedis arsi non saepe invenitur in Ovidii carminibus.

Cf. Her. VII. 55: Ut pelago suadente etiam retinacula solvas.

Her. XII. 183: Dum ferrum flammaeque aderunt sucusque veneni —

A. a. II. 115: Nec violae semperve hyacinthina lilia florent.

A. a. III. 627: Tuta quoque est fallitque oculos a lacte recenti —

IV.

His rebus inquisitis ad argumenti expositionem descendamus et praeiudicatis opinionibus liberi consideremus, quae argumentorum momenta satis firma ex ea re possint peti, ut Ovidiana Sapphus epistolae origo iure aliquo negetur. Quibus in rebus multa inveniemus, quae insulsa neque Nasone digna sunt.

Quod de nomine ‚Atthis‘ v. 18 explicavimus, vide p. 9 sqq.

⁹⁴ Sedlmayer, P. Ovidii Nasonis Heroides, p. 165, n.

Iam p. 11 diximus ex Am. II. 18. v. 19 sqq. evidenter apparere Ovidium inter alias feminas etiam Lesbiam vatem scribentem epistolam finxisse. In illa enim elegia poeta ad Macrum amicum suum scribit se grandia carmina audentem tragoediaeque intentum Cupidinis illecebris ad amatorias res scribendas deductum esse enumeratque nonnullas Heroides et inter eas Sapphus etiam epistolam. Locus autem hic est:

Quod licet, aut artes teneri profitemur Amoris,
Ei mihi, praeceptis urgeor ipse meis! . . .
Aut quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
Scribimus et lacrimas, Phylli relictas, tuas:
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iaso
Hippolytique parens Hippolytusque legant,
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat, et Aeoliae Lesbis amica lyrae.

Ita indicatis Heroidum epistulis, quas ipse scripserit, enumerat Ovidius epistulas responsorias, quas aequalis et amicus A. Sabinus ad singulas rescripserit:

Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diversis rettulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulixidis:
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo:
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae:
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest:
Tristis ad Hypsipylum ab Iasone littera venit.
Det votam Phoebos Lesbis amata lyram.

Qui ultimus versus nos docet: Sappho per Sabini epistolam a Phaone fausto responso exhilarata et amata lyram votam Phoebos donet. Quo apparet poetriam in genuina Ovidii epistula Apollini lyram vovisse, si Phaonem ad amorem induxerit. Etiam in epistula, quae exstat, Sappho Apollini lyram vovet, at non si Phaon eius amori responderit, sed si illaesa ex saltu Leucadio evaserit et amoris aestu fuerit liberata. Illi enim versus hi sunt (175—184):

Ibimus, o nympha, monstrataque saxa petemus:
Sit procul insano victus amore timor.
Quidquid erit, melius quam nunc erit, aura, subito!
Et mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pinnae suppone cadenti.
Ne sim Leucadiae mortua crimen aquae.
Inde chelyn Phoebos, communia munera, ponam.

Et sub ea versus unus et alter erunt:

„Grata lyram posui tibi, Phoebe, poetria Sappho:
Convenit illa mihi, convenit illa tibi?”

Itaque non congruunt illa, quae Ovidius ipse de poetria Am. II. 18. 34 dicit, et ea, quae in nostra epistula v. 175—184 leguntur. Unde sequitur, Sapphus epistolam scriptam esse non ab Ovidio sed ab imitatore quodam, qui ad illum versum Am. II. 18., parum a se intellectum, perverse admodum respexerit versibus 175—184.⁹⁵ Hanc discrepantiam nemo epistolae propugnatorum tollere potuit, quamquam illos locos vario modo interpretari studuerunt. Loers enim contra sententiam Schneidewini opinionem protulit⁹⁶ poetriam iam antequam saltus periculum fecisset, faustum responsum a Phaone accepisse, itaque non desiluisse, sed tamen Apollini donasse lyram, quam cum vovisset deo, si desiliens de Leucate amoris aestu fuisset liberata, optime iam tunc posset dare cum alio remedio eoque meliore amoris eius fuisset consultum. Quo posito interrogamus: Quid meritis est Apollo de Phaonis amore, ut ei Sappho lyram donaret? Nam poetria deo ea tantum condicione illud donum vovit, si desiliens de Leucate amoris aestu liberata fuerit. Sin autem Phaon litteras blandas ad Sapphonem saltu nondum perpetrato scripsit, non erat Sapphus, cur Apollini lyram donaret.

Comparetti⁹⁷ autem statuit Phaonem responsum suum, quo scripsit Sapphus amoris se respondere, tunc demum misisse, cum Sappho iam ad remedium discriminis plenum refugisset et ad confirmandam illam sententiam haec argumenta affert: Si Sappho lyram suam vovit Apollini, ipsa rei natura ostendit referendum id esse ad saltum de Leucate promunturio; lyram igitur voveri Apollini Leucadio. Nam ille in eo monte templum habebat celeberrimum. Quo respicit Sapphus epistolae versus 165 sq.:

Phoebus ab excelso, quantum patet, aspicit aequor:
Actiacum populi Leucadiumque vocant.

Leucadio autem Apollini erant obligati illi tantum, qui eius beneficio illaesi ex saltu evaserant, neque aliud quidquam nisi prosperum saltus eventum poterat precari Sappho. Minime enim est cogitandum eam ab hoc deo petiisse ut Phaon ex Sicilia rediret et amoris ipsius responderet: hoc poterat efficere non Apollo, sed Venus. Quod ipsa poetria indicat v. 57 sq.:

Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos —
Nam tua sum — vati consule, diva, tuae.

Apollo vero in totam hanc amorum fabulam introduci non potest nisi ea lege ut mederi amoris illorum putetur, qui de Leucate in mare se praecipitarint. Sappho igitur tunc demum lyram suam potuit dare Phoebis,

⁹⁵ Quos locos minime congruere iam Schneidewinus contendit: Mus. Rhen. 1843, p. 138 sqq., et 1845, p. 144. Adsensit sunt Schneidewino C. Lehrs, Proem. ad Horatium, p. CCXXIV. n., A. Riese, Praef. ad Ovid. tom. I., p. X. n. 1., alii.

⁹⁶ Mus. Rhen. 1846, p. 45 sqq.

⁹⁷ l. l. p. 15. Hunc sequuntur Vries, l. l. p. 131 sqq., Barbu, l. l. p. 25 sqq., alii.

cum saltus periculo feliciter esset perfuncta. Phaon autem responsum Sapphoni faustum — et faustum profecto erat, nam

Det votam Phoebō Lesbīs amata lyram —
prius mittere non potuit, quam Sappho iam in mare se deiecerat.⁹⁸

At intellegi non potest, cur Sappho Apollini *ipsi Leucadio* lyram vovere debuerit neque cur Phaon responsum faustum prius mittere non potuerit, quam Sappho iam in mare se deiecisset. Nam ille, cui sola elegia — Am. II. 18. — neque nostra epistula nota est, elegiae versum 34 legens sine dubio de Apolline poetarum patrono cogitabit, nequaquam de Apolline Leucadio. Optimo enim iure tam clara poetria ab artis poeticae deo tutelam sperare potuit. — Videmus igitur illa argumenta esse caduca.

Alterum argumentum, ex quo Vries et alii effecerunt tunc demum responsum illud misisse Phaonem, cum Sappho iam ad remedium discriminis plenum refugisset, sunt nostrae epistolae versus 169 sqq.:

Nec mora, versus amor figit⁹⁹ lentissima Pyrrhae

Pectora: Deucalion igne levatus erat.

Hanc legem locus ille tenet.

Vir doctus¹⁰⁰ enim sic ratiocinatur: «Deucalion igitur cum Pyrrham perditē amaret, deiecit se de Leucate promunturio, nec tantum illaesus ex saltu evasit, sed etiam in ipso saltu faciendo amoris aestu est liberatus; amor autem transiit in pectus Pyrrhae, antea ‚lentissimum‘, nam:

Hanc legem locus ille tenet.

Similiter etiam Sappho postquam desiluit liberatur ipsa amore, qui lentissimum simul tangit Phaonis pectus; post saltum igitur votam Phoebō lyram datura est iam non amans, at vero amata, id quod testatur Sabiana illa Phaonis epistula, Ov. Am. 18. 34».

Sed etiam hoc argumentum non est probabile: nam Sappho postquam saltu faciendo amoris aestu liberata est, Phaonem igitur amare desiit, Phoebō non propterea lyram donavit, quia Phaon ei litteras miserat, sed quia ‚illaeso corpore pressit aquas‘ atque incolumis manserat. Certo etiam statim post saltum deo illud donum dedit neque antea litteras Phaonis exspectavit, quem quod non amplius amavit, ei nequaquam curae fuit.

Aliter autem se habet Lachmanni¹⁰¹ argumentum epistolae eiciendae, quod se in nomine ‚furalis Erichtho‘, quod in versu 139 legitur:

Illuc mentis inops, ut quam furalis Erichtho

Attigit —

invenisse putavit. Vir enim ille divinus invenit Erichthus nomen apud solum Lucanum, Pharsalia libr. VI. vv. 507 sqq., ubi veneficam quandam Thessalicam

⁹⁸ Vries, l. l. p. 131 sq.

⁹⁹ De hoc versu vide p. 8.

¹⁰⁰ Vries, l. l. p. 133.

¹⁰¹ Kleinere Schriften zur class. Philologie, vol. II., p. 57.

designat, cuius ope Pompei Magni filius usus est ad exploranda belli fata; propterea ex Lucano in epistulam nostram translatum esse hoc nomen, imitatore[m] igitur Ovidii post Lucani aetatem vixisse affirmare non dubitavit.¹⁰² Sed nostro versu haec maga minime locum habere potest, quippe quae neminem, si Lucani verba sequimur, in amentiam amoris impulerit. Neque admitti potest poetam Sapphus epistulae, qui alioquin in rebus mythicis satis versatus videtur, talem inscitiam commisisse, ut Sapphonem nominantem fecerit magam quandam, quae Pompei demum aetate vixerit. Itaque altera quaedam huius nominis femina, quae fortasse revera aetate Sapphus vigerit, intellegenda est; antiquitus enim iam cognitum fuisse ‚Erichtho‘ nomen docet nos patera perantiqua herbipolitana, in qua feminae cuidam est adscriptum nomen *ΕΡΙΧΘΩ*.¹⁰³ Et ipse epistulae auctor hoc verbum de suo ingenio addere potuit. Propterea non putaverim probandam esse coniecturam Vriesei, qui quod in codice Francofurtano ‚Enyo‘ legitur,¹⁰⁴ pro ‚Erichtho‘ illud nomen proposuit. Nam Enyus nomine nec aetate argentea nec posterioribus temporibus alia dea nisi bellica, quae ad hunc epistulae locum minime apte convenit, appellari solebat.¹⁰⁵ In iis enim, quos Vries p. 137 ex Dracontii, quae fertur Orestis tragoedia, attulit, versibus 497 sq.:

Et Furiis augete malum mortale venenum;
Torqueat auctores scelerum crudelis Enyo.

Furiarum et Enyus nomina non, ut Vries vult, tam coniuncta sunt, ut unum pro altero stare possit, sed duae plane diversae exhibentur notiones deam bellicam et Erinyn seorsum designantes. Respondit scilicet nutritor Orestis ad ea, quae Clytaemnestra supra praefata est, placidam quietem renuncians:

V. 387 sq.: Quod vos sic minuit saevis Bellona duellis,
Regis culpa fuit, qui exhaustit civibus urbem.¹⁰⁶

Reicienda etiam est lectio ‚impulit‘, quam Vries cum aliis plerisque editoribus pro ‚attigit‘ v. 140 recepit. Nam ‚impulit‘ in nullo libro manu scripto invenitur, contra ‚attigit‘ in codicibus Francofurtanis et uno Monacensi legitur¹⁰⁷ et locis Ovidianis, quos epistulae scriptorem etiam alibi diligentissime esse imitatum notum est, defendi potest.

¹⁰² Qua in re Lachmannum secuti sunt complures, Haupt (Opusc. I, p. 340), Riese (Praef. in Ovid. tom. p. X), Birt (Mus. Rhen. XXXII., p. 388. n. 2).

¹⁰³ Vries, l. l. p. 136.

¹⁰⁴ Codices Harleianus et Fuldensis exhibent ‚eritho‘, codices inferioris notae autem ‚hericto‘ vel ‚ericto‘ vel ‚Erinnis‘.

¹⁰⁵ Stat. Theb. VIII. 657: «et face mutata bellum integrabat Enyo». Mart. Spectacul. 24: «ne te decipiat ratibus navalis Enyo», ubi pro bello sive proelio ipso positum est.

¹⁰⁶ Barbu, l. l. p. 38.

¹⁰⁷ Alii codices habent ‚Attulit‘ vel ‚Actulit‘, quod Heinsius in ‚Abstulit‘ mutavit.

Cf. Fast. III. v. 201: Intumuerē Cures et quos dolor attingit idem.

Her. IV. v. 49 sq.: Aut quas semideae Dryades Fauniquē bicornes.

Numine contactas attonuere suo.

Am. III. 1. 64: iam nunc contacto magnus in ore sonus.

Neque consentio cum Barbuio, qui lectionem ‚eritho‘ mero errore pro ‚erinys‘ a librario quodam scriptam esse credidit, cuius oculi aberrantes in ultimam syllabam subsequentis ‚topho‘ v. 141 incidissent.¹⁰⁸ Nam ut omittam optimorum codicum auctoritatem, neque loci, quos ille vir doctus ad confirmandam coniecturam attulit, quidquam valent, quia non simili modo usurpata est Erinys Met. IV. v. 490 sqq.:

Obstitit infelix aditumque obsedit Erinys,
Nexaque vipereis distendens brachia modis
Caesariem excussit. —

neque in eiusdem carminis versibus 506 sq.:

Dumque pavent illi, vertit furiale venenum
Pectus in amborum, precordiaque intima movit.

Nostra enim Erichtho, quem attigerat, in amentiam amoris impulit, quod de illa Ovidii Furia ex versibus allatis intelligi non potest. Itaque persuasum habeo lectionem ‚Erichtho‘, cuius manifesta vestigia in duobus, ut dictum est, optimis codicibus reperiuntur, servandam esse. Nihil interest, hoc verbum non integrum ad nos pervenisse, sed in trunca lectione ‚eritho‘ vel ‚ericto‘ vel ‚hericto‘, quod facillime habebimus explicatum, si meminerimus codicum scribas verba graeca, imprimis parum nota et vulgata, saepissime perverse scripsisse. Nec praetermittendum est in codicibus Lucani similem scripturae discrepantiam eiusdem vocis occurrere, ut in Berolinensi a prima manu ‚Erectho‘, in aliis ‚Eritho‘ vel similia.¹⁰⁹

Deinde Sapphus epistula etiam propterea iure in suspicionem adducitur, quia in ea Sappho *τραβαδικῆς ἀσελείας* rea facta est, quod crimen non poetriae Mytilenaeae, sed meretricis Eressiae fuit. Ceterum Sappho se ipsa in hoc carmine tam obscenam et lascivam ostendit, ut tantum absit, ut Phaonem ad amorem sui adducat, ut legenti maximum sui fastidium moveat.

Pudicissima¹¹⁰ quidem non depingitur poetria etiam nonnullis aliis Ovidianorum poematum locis, velut:

A. a. III. v. 331: Nota sit et Sappho, — quid enim lascivius illa?

Rem. v. 761: Me certe Sappho meliorem fecit amicae.

Trist. II. v. 365: Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?

¹⁰⁸ Barbu, l. l. p. 38.

¹⁰⁹ D. Naguiewski, l. l. p. 10.

¹¹⁰ Sapphonem turpissimae cum puellis consuetudinis iniuria accusari notum est; Eressia enim meretrix et Mytilenaea poetria a comicis graecis eadem persona facta et dilacerata est. Inde illae fabulae posteriorum poetarum. Cf. F. G. Welcker, Kleinere Schriften, II., p. 80—144.

Sed oro, ut cum illis versibus comparentur foedissimi nostrae epistolae loci, qui sunt v. 15—20, v. 45—50, v. 127—134, v. 191—194, v. 201 sq.

Non absurdus quidquam potest cogitari, quam ut Sappho talibus rebus, praecipue si narrat se turpissimo aliquo scelere socias et amicas suas amavisse, Phaonem ad amorem sui revocet.

Huic argumento contra dici non potest similes locos etiam in ceteris Heroidum epistulis inveniri. Sunt sane lascivi, sed nequaquam tam obsceni quam in nostro carmine. Ad hanc sententiam confirmandam liceat mihi omnes ceterarum epistularum versus paulo lasciviores hoc loco afferre: Her. II. 57 sq., 115 sq.; Her. III. 114; Her. VII. 93 sq.; Her. XI. 39—46; Her. XVI. 159—162, 221—224; Her. XIX. 62—64; Her. XX. 63 sq.

Denique Sapphus epistula etiam propterea offendit, quia poetria dilectum suum, praecipue eius formam nimiis laudibus afficit eumque praeter modum adulatur. Quam ob rem sermo multis locis ineptus et infacetus est, velut v. 21—24, v. 39 sq., v. 85—94. Blanditiae quidem etiam in aliis Ovidii epistulis leguntur, id quod ex ipsa huius generis carminum natura sequitur. Sed eae plerumque non sunt immodestae neque creberrimae. Excusantur quoque ea re, quot ut in ep. XVI. et XX. a viris amantibus dicuntur. Proferri autem possunt hi tantum loci: Her. IV. 35 sq.; Her. XII. 13 sq.; Her. XVI. 139¹¹¹—148, 273 sq.; Her. XX. 55—62.

¹¹¹ Versus 39—144 huius epistolae Ovidio vulgo abiudicari notum est. Sed hac de re subtilius agere abest a proposito meo.

Carnioli, Junio mense MDCCCXCV.

V. Korun.



Schulnachrichten.

I.

Personalstand.

Am Schlusse des Schuljahres 1894/95 bestand der Lehrkörper aus folgenden Mitgliedern:

A. Für die obligaten Lehrfächer.

	Name und Charakter	Ordinarius in der Cl.	Lehrfach und Classe	Wöchentl. Stunden
1	Josef Hubad , k. k. Director und Licutenant a. D., Mitglied des k. k. Bezirksschulrathes.	—	Geographie I. — Mathematik I., II. — Naturgeschichte I., II.	13
2	Franz Novak , k. k. Professor, Custos der Gymnasial- und der Schülerbibliothek.	II.	Latein II. — Deutsch II. — Slovenisch I., II.	17
3	Valentin Korun , k. k. wirkl. Gymnasiallehrer, Custos der geographischen Lehrmittelsammlung, leitet die Jugendspiele.	I.	Latein I. — Deutsch I. — Geographie und Geschichte II.	16
4	Franz Perne , prov. Religionslehrer, Stadtpfarr-Cooperator.	—	Religion I., II.	4

B. Für die nichtobligaten Fächer.

Kalligraphie in 2 Abth., 2 St. w., lehrte k. k. Gymnasialprofessor **Franz Novak**.

5. **Gesang** in 2 Abth., 2 St. w., lehrte **Johann Pezdič**, Oberlehrer der Knaben-Volksschule und Mitglied des k. k. Landesschulrathes.

6. **Zeichnen**, 1. Curs zu 2 St. w., lehrte **Heinrich Podkrajšek**, Lehrer der Knaben-Volksschule.

Aushilfsdiener: **Franz Gabrič**.

II.

Lehrverfassung.

Der Lectionsplan schließt sich an den allgemeinen Lehrplan (Minist.-Vdg. vom 26. Mai 1884, Z. 10.128; dazu Art. 2 des Minist.-Erl. vom 2. Mai 1887, Z. 8752, Minist.-Erl. nebst Minist.-Vdg. vom 14. Jänner 1890, Z. 370, Minist.-Erl. vom 30. September 1891, Z. 1786, Minist.-Erl. und Vdg. vom 24. Mai 1892, Z. 11.732, Minist.-Erl. vom 6. Juli 1892, Z. 11.297, und vom 20. August 1892, Z. 17.616) an.

Hinsichtlich der Unterrichtssprache gelten die mit hohem Minist.-Erlasse vom 22. Juli 1882, Z. 10.820, bestimmten Normen:

- a) In der I. und II. Classe ist das Slovenische die Unterrichtssprache für alle Lehrgegenstände mit theilweiser Ausnahme des deutschen Sprachfaches; auf letzteres entfallen 4 wöchentliche Lehrstunden.
- b) In der III. und IV. Classe ist das Deutsche die Unterrichtssprache für die Lehrgegenstände «Deutsch» und «Griechisch». Bei der Übersetzung aus Caesar in der IV. Classe kann neben der slovenischen auch die deutsche Sprache in Anwendung kommen. Wöchentliche Stundenzahl für das Deutsche in der III. Classe 3, in der IV. Classe 4.
- c) In den relativ obligaten oder freien Lehrfächern ist die Unterrichtssprache (mit Ausnahme des Gesanges) die deutsche, die Terminologie überhaupt in beiden Sprachen zu geben.

In den Oberclassen wird zufolge Erlasses des hohen k. k. Ministeriums für Cultus und Unterricht vom 30. Juli 1894, Z. 17.615, die deutsche Unterrichtssprache eingeführt werden.

A. Obligate Lehrfächer.

I. Classe.

1.) **Religion**, 2 Stunden: Katholischer Katechismus. Vom Glauben, von den Geboten, Sacramenten und Sacramentalien.

2.) **Latein**, 8 Stunden: Formenlehre der wichtigsten regelmäßigen Flexionen, eingeübt an latein.-slov. und slov.-latein. Übersetzungsbeispielen aus dem Übungsbuche, später häusliches Aufschreiben der in der Schule durchgenommenen Übersetzungen. — Memorieren der Paradigmen und Vocabeln. — Wöchentlich 1 Composition von $\frac{1}{2}$ Stunde.

3.) **Deutsch**, 4 Stunden: Empirische Erklärung der Elemente des einfachen und zusammengesetzten Satzes. — Die Formenlehre parallel mit dem slov. und latein. Unterrichte. Einübung der starken Verba gelegentlich der Lectüre. — Lesen, Sprechen, Nacherzählen und Vortragen memorierter poetischer und prosaischer Stücke. — Schriftliche Übersetzungen aus dem Slovenischen ins Deutsche. Im 2. Semester mitunter schriftliche Wiedergabe erklärter Lesestücke. — Monatlich zwei Arbeiten, abwechselnd Schul- und Hausarbeiten.

4.) **Slovenisch**, 3 Stunden: Regelmäßige Formenlehre. — Der einfache, bekleidete und einfach zusammengesetzte Satz. — Lesen, Nacherzählen. — Alle 14 Tage ein schriftlicher Aufsatz erzählenden, erzählend-beschreibenden oder grammatischen Inhaltes.

5.) **Geographie**, 3 Stunden: Anschauliche Vermittelung der geographischen Grundvorstellungen. Die Tagesbahnen der Sonne in Bezug auf das Schul- und Wohnhaus in verschiedenen Jahreszeiten; hienach Orientierung in der wirklichen Umgebung, auf der Karte und am Globus. Beschreibung und Erklärung der Beleuchtungs- und Erwärmungsverhältnisse innerhalb der Heimat im Verlaufe eines Jahres, soweit sie unmittelbar von der Tageslänge und der Sonnenhöhe abhängen. — Hauptformen des Festen und Flüssigen in ihrer Vertheilung auf der Erde, sowie die Lage der bedeutendsten Staaten und Städte bei steter Übung und Ausbildung im Kartenlesen. Versuche im Zeichnen der einfachsten geographischen Objecte.

6.) **Mathematik**, 3 Stunden. *Arithmetik*: Das dekadische Zahlensystem. Römische Zahlzeichen. Die vier Grundoperationen mit unbenannten und einfach

benannten, ganzen und Decimalzahlen. Das metrische Maß- und Gewichtssystem. Das Rechnen mit mehrfach benannten Zahlen. Theilbarkeit der Zahlen, Zerlegung in Primfactoren. Die einfachsten Vorübungen für das Rechnen mit gemeinen Brüchen, einschließlich des Aufsuchens des gemeinschaftlichen Maßes und Vielfachen. — *Geometrische Anschauungslehre* (2. Sem; mit der Arithmetik abwechselnd): Die Grundgebilde. Gerade, Kreis; Winkel und Parallelen. Die einfachsten Eigenschaften des Dreiecks. — In jeder Conferenzperiode eine schriftliche Schularbeit.

7.) **Naturgeschichte**, 2 Stunden: Anschauungsunterricht. Die ersten sechs Monate des Schuljahres: *Thierreich*, und zwar Säugethiere und Insecten in entsprechender Auswahl. — Die vier letzten Monate des Schuljahres: *Pflanzenreich*. Beobachtung und Beschreibung einer Anzahl von Samenpflanzen verschiedener Ordnungen nach ihren wichtigeren Merkmalen, vergleichende Betrachtung derselben behufs Auffassung ihrer Verwandtschaft.

II. Classe.

1.) **Religion**, 2 Stunden. Liturgik: Katholischer Cultus, kirchliche Personen, Orden, Geräthe, Handlungen und Zeiten.

